[illegible]

EXAMEN

NARRATIONIS, QVAM, HISTORICÆ RELATIONIS NOMINE INSIGNITAM, de Colloquio Ratisbonensi, edidit Ægidius Hunnius Prædicans.

AD NORMAM HISTORICÆ VERITATIS INSTITVTVM.

AVTHORE
ADAMO TANNERO SOCIETATIS IESV THEOLOGO.

IN QVO ETIAM NON PAVCA, TVM DE REBVS IPSIS, QVÆ in Disputatione versabantur: tum de Notationibus Hunnianis, ad epistolam historicam de eodem Colloquio cuiusdam Anonymi Catholici; & appendice Prædicantium Neoburgensium, quam priori editioni sui Protocolli assuerunt.

Ex Legato Illustr.mi Coccini

MONACHII EXCVDEBAT
Nicolaus Henricus.

Anno M. D CII.

quij ex vna parte Authori Ser.tis V.ræ Serenissimo Fratri MAXIMILIANO obtulerã, eo plane fructu, vt spero quem amantissimus quisque veritatis, in tanta vanissimi rumoris procella optare poterat: Idcirco consentaneum erat, hanc falsæ Relationis refutationem Vestræ Ser.tati quæ Colloquio etiam præsens semper interfuit, propinquũ omnino munus offerre. Id quod Ser.me Princeps, tanta nunc animi submissione facio, quantam fiduciã, vt hoc facere auderẽ, & ipsius Veritatis, quam tueri studeo splendor ac honestas; & de Ser.tatis Vestræ Clementissima voluntate concepta spes, subministrarũt. Neq; verò dubito, quin Serenitas Vestra pari beneuolentiæ affectu, munusculum hoc quantumuis leuidense, susceptura sit, quo alterã exceptum iam sibi veritas gratulatur, quando in omni virtute paternis simul ac fraternis vestigijs tàm studiosè insistit. Faxit modo præpotens Deus, vt & ad sui Nominis gloriam hunc laborem dirigat, & Ser.tem V.am diu sospitẽ & incolumẽ seruet, quotidianisq; incrementis gratiæ suæ ac bonorum omnium quam opulentissimã reddat. Monachij 5. Iunij, Anno M.DCII.

AD LECTOREM.

OPportune accidit, Amice lector, vt euulgata iam Relatione illa compendiaria, quam de nuperrimo Ratisbonensi Colloquio conscripseram, & vanissimis hæreticorum, eadem de re, mox ipsius Colloquij initio, nullo certo Authore sparsis mendacijs atq; calumnijs opposuerã, iam demum eorum, magna ex parte, Authorem se proderet Hunnius: vt qui antea in occulto mordebat coluber, iam in aperto positus facili opera contereretur.

Quid enim? Deuenit nuper in manus meas Rhapsodia quædã Hunniana, octo ferè papyri quaternionibus in 4. illita, & ex Vvitebergensi typographia in lucem edita, quam Relationem historicam de Colloquio Ratisbonensi inscripsit, nullis membris, nedum articulis distincta, nulla ferè certa methodo, vel ordine digesta, confusum Chaos, in qua nihil fere aliud legenti occurrebat, quàm illa dudũ decantata, atq; etiam protrita mendacia, & calumniæ, quibus & Catholicorum

licorum

licorum causa, & Catholici Collocutores iã pridem, nequiter à Pseudoeuangelicis traducebantur. Qui quidẽ mentiendo veritatis limites vsqueadeo transgreßi sunt, vt Hunnius ipse, Iesuitarum metu, necessarium duceret, palam initio suæ Relationis, protestari contra quandã eiusmodi chartam, Magdeburgi in Saxonia, Vernacula lingua, editam, trium quaternionum, cum qua Hunnius nihil sibi vult esse cõmune, Fol.A.2. *aitq́;* contineri in illa, quæ cum historica fide nequaquam congruant.

Bona quidẽ, sed imperfecta confeßio, quòd idẽ de sua quoq́; Relatione, vel ipsorũ fortasse Magdeburgensium testificatione, siqui ex ea ciuitate præsentes Colloquio fuêre, eodem calculo dignißimã, confessus non est Hunnius. Iam quia vel pudore, vel impudentia impeditus, de se tacuit, quod de alijs Pseudoeuãgelicis tàm sincerè fassus est, ego pia cõmiseratione motus, eius officiũ præstabo, & vanitatem, mendacia, calumnias, turpißimosq́; incurabilis cuiusdam siue ignorantiæ, siue impudentiæ lapsus, quibus relationem suam infarsit, mirificéque exornauit Hunnius, palã faciam.

 Quia

Quia verò juxta morem Ecclesiæ, generalis confeßio de peccatis præmitti cõsueuit, nec hanc quidem Hunnio deesse patiar. Opportuniorem autem formulã hac in re nullam reperire potui, ea quam de Euangelicis, (qui falsò hoc nomine gloriantur) scriptoribus, generalem iam pridem conscripsit & edidit Hieronymus Zanchius, & ipse quoq; in euangelicis eiusmodi ministris, non postremum sibi locum vendicans. Is igitur in præfatione libri, quem contra Trinitarios conscripsit, rotundè, liberè, ac ingenuè hanc generalem de toto scribendi genere Euangelicorum cõfeßionem edidit his verbis: Latinum *(librum cuiusdam Lutheroeuangelici)* legi quidem; *inquit*, Sed non sine magno stomacho perlegi, cum nimirùm viderem, qualisnã sit scribendi ratio, qua in Ecclesijs (vt vocant) ex euangelio reformatis, permulti, ne dicam, pleriq; omnes, vtuntur: qui tamen Pastores, qui Doctores, qui Columnæ Ecclesiæ videri volunt. Statum causæ ne intelligatur, de industria sæpe numerò tenebris inuoluimus: quæ sunt manifesta, impudenter negamus: quæ falsa, sine fronte asseueramus: quæ apertè impia

Zanch. contra Trinitar.

pia

pia, tanquã prima fidei principia obtrudim᾽: quæ orthodoxa, hæreſeos damnamus: Scripturas ad noſtra ſomnia pro libidine torquemus: Patres jactamus, cũ nihil minus, quàm illorũ doctrinã ſequi velimus: Sophiſticari, calumniari, cõuiciari, nobis eſt familiare &c. modò cauſam noſtram, ſiue bonam, ſiue malam, quo jure, quaq; injuria tueamur, reliqua omnia ſuſq; deq; facimus. O tempora, ô mores &c. *Ita* dixit quidam ex illis *(Pſeudoeuangelicis)* proprius ipſorum Propheta. *vt cum S. Paulo loquar. Et certè* teſtimonium hoc verum eſt, *& verum eſſe huius ipſius Hunnianæ relationis exemplo manifeſtum fiet.* Tit. 1.

Quanquam autem eam Hunnij relationem animaduerterem, antea iam in mea relatione. (ad quam etiã ſubinde me nunc refero) quamuis necdum cognitam, fortè etiam necdũ editam ſatis eſſe re ipſa, & velut in actu (vt vocant) exercito protritam, ideoq́ etiam, omni alia refutatione prætermiſſa, cauſa tota lectorum arbitrio permitti potuiſſet, quos minimè dubito, perlecta mea relatione, facilè vanitatem & mendacia Hunnianæ relationis deprehenſuros eſſe: Atta-

men quia fortè non omnes eius judicij sunt, vt proprio Marte, rem quamq́; suis momentis ponderare nôrint, ac proinde è re cõmuni futurum esse intelligebam, si vanitas & falsitas Hunnianæ relationis etiam in actu signato (vt loquuntur) & quasi intento digito omnium oculis subijceretur, ideò breuem hanc eius refutationem conficere placuit.

Neq́; tamen omnia Hunnij dicta velut ad amußim examinari statui, sed illa duntaxat, quæ in alterutram partem plusculum momenti habere videbantur. Nam si non expediat, *vt prudenter monuit Philosophus ille,* omnia *(quæ nos lædere possunt)* videre, omnia audire; *ideoq́; eodem suasore consultum est, vt* multæ nos injuriæ transeant, ex quibus plerasq́; non accepit, qui nescit: *quanto minus iniuriæ (tã vile mercium genus) omnes velut ad auri trutinam, expendendæ sunt: quasi verò multum intersit, pluresne an pauciores acceperis: cum siue plures illatæ sint, venditor nihil earum quod superest, ab emptore reposcat, siue pauciores, nihil magnope amplius desideret emptor. Ex his igitur, vt idem rectè*

Seneca lib. 3. de ira.

rectè notauit, alia differēda sunt, alia deridenda, alia donanda. Circumscribenda multis modis ira est. Pleraq; in lusum iocumq; vertantur: *quandoquidem etiam aduersariū plùs sæpe mordent iocosi sales, quàm seria conuicia.* Seneca loc. cit.

Licet verò conuicijs cum Aduersario certare mihi nequaquam propositum sit, id mihi tamen Hunnius libenter condonabit, quod, cū ipse impudenti suæ linguæ, tam, ad omnem vanitatem & maledicentiam, liberè frænos laxarit, juxta propriū eius pronunciatum, in ipso quoq; Colloquio vsurpatum, scapham, scapham, ligonē, ligonem; *mendacium, mendaciū; calumniam, calumniam; absque alijs verborum inuolucris, simplici stylo subinde appellito, ea tamē cautela, ne turpiter confusis rerum nominibus, scapham ligonem, veritatem mendacium, Hunniano more, dicam.*

Et quia Hunnius notas *etiā quasdam* in epistolam cuiusdam anonymi Pontificij, *vt Hunnius, loquitur, de eiusdē disputationis Ratisbonensis euentu cōscriptam, edidit, easq; Poëtæ cuidā Pseudoeuangelico, bono omine, inscri-*

psit, in quibus eadē plæraq́; mēdacia & calumnias, quas iam antea in sua relatione euulgarat, repetit, ego eadē opera, quædam ex illis notis potiora, hoc etiam scripto, obiter nōnunquam perstringam. Neq́; enim certè epistolam eam, à quocunq́; demum conscriptam, ea censura notandā judico, qua Hunnius suam illam Magdeburgensem chartam notauit, sed potius vt veritati per omnia conformē recipio. Vnde eo magis gratulor epistolæ illi, quòd iam Hunnij notationibus condecorata, non euersa, eiusdem quoq́; opera in lucem edita est, quæ forsitan in occulto prius obscura latitabat. Pupugit ea certè, vt apparet veritatis hostes, & quæ tantum sibi non sumpserat, etiam digna visa est, vt à quodam Poëtarum, quibus scilicet veritas plurimum cordi esse solet, Francofurto in Saxoniam vsq́; Hunnij notis illustranda mitteretur.

Insero etiam obiter subinde quædam, quæ ad illam seu præfationem, seu postfationem, quam Prædicantes Neuburgenses suo, & suorū collegarum, qui disputationi interfuerunt, nomine, Protocollo suo adjunxerunt, obiter perstringendam

dam facere poſſe videbantur: etſi ei iam abundè ſatis reſponſum ſit in præfatione illa, quæ Protocolli Monacenſis ſecundæ editioni præfixa eſt.

Neq; dubito, quin æquus lector, perlecto hoc ſcripto, Prædicantium vanitatem cogniturus ſit, palamq; intellecturus, quàm in omnibus firma & immota ſtet cauſa Catholicorum, quæ quantò magis Prædicantium mendacijs concutitur, eò magis roboratur, quoq; operoſius eorum calumnijs ac maledicentia impetitur, eò clariùs ſemper eniteſcit. Væ autem illis, qui velut in meridie cæcutiunt, & vel oculos habent, & non vident, vel hoc ipſo veritatem fugiunt, quod vident. Jis certè vt vix vllum remedium prodeſſe poteſt, ita nec hoc ipſum quaſi profuturum ſcribitur. Tibi, amice lector, meus hic labor deſtinatus eſt, quiſquis veritatem præfracto animo non ſpernis. Tu lege, & cum Deo, quæ legis, judica, proba, improba, vt tuo judicio, non tam ego, quam tu ipſe ſtes aut cadas, Staturus non dubito, ſi ex æquo rem judicaueris. Vale.

IN-

INDEX CA-
PITVM.

CAP. VIII.

CAPVT VIII.

Examinantur ea, quæ narrat Hunnius de forma Iesuitica, dum Respondentis officium præstat.

CVPVT IX.

Quantam injuriam Auo suo Luthero referat Hunnius, dum quasi re benè gesta, formam Dialecticam veterem à se in Colloquio servatam gloriatur.

CAPVT X.

De primis sex pronunciatis, quæ velut absurda Catholicis collocutoribus absurdè tribuit Hunnius.

CAPVT XI.

Nihil à Catholicis de Mosis & Aaronis sacerdotio, atq; permissione Aaronis circa cultum idololatricum absurdè dictum, vt calumniantur Prædicantes.

CAPVT. XII.

De tribus aliis absurditatibus, quas Catholicis collocutoribus imponit absurdus Prædicans.

CAPVT XIII.

Quid circa Sessionem 9. & 11. absurditatis in Catholicis comminiscatur Hunnius.

CAPVT XIV.

De cæteris absurditatibus, quas Catholicis absurdè tribuit Hunnius.

CAPVT XV.

De prima Decade absurdorum à Prædicantibus in Colloquio admissorum.

CAPVT XVI.

De secunda Decade Absurdorum Prædicanticorum.

CAPVT XVII.

De tertia Decade Absurditatū, quas in Colloquio Prædicantes enixi sunt.

Facul-

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS SOCIETATIS IESV PER SVPERIOREM Germaniam.

HAnc Hunnianæ Relationis de Colloquio Ratisbonensi Refutationem, à P. Adamo Tannero Societatis nostræ Theologo conscriptam, & à quatuor Patribus itidem Theologis lectam & probatam, Ego GREGORIVS ROSEPHIVS Prouincialis, potestate mihi ab admodum R. P. N. Præposito Generali P. CLAVDIO AQVAVIVA facta, typis mandari permitto. In cuius rei fidem hoc Authori testimonium, manu nostra subscriptum, ac sigillo munitum dare volui. Monachij 3. Iunij Anno M. D C I I.

GREGORIVS ROSEPHIVS.

EXAMEN HVN-NIANÆ RELATIONIS DE COLLOQVIO Ratisbonensi.

CAPVT I.

DE VANITATE HVN-nianæ relationis.

INSPECTO Hunnianæ Rhapsodiæ titulo, nihil dubitabam me si non veracem, saltem plenam ac ordinatam historiam, Colloquij Ratisbonensis esse lecturum. Ita enim titulus, historicæ relationis de colloquio Ratisbonensi, quem suo scripto magnificè prætexuit Hunnius, polliceri videbatur. Quinetiam initio statim narratiunculæ suæ promittit Hunnius, se Christiano lectori *exhibere* Fol. A. 2. *synopsin præcipuarum rerum, quæ circa solennem disputationem Ratisbonæ celebratam obseruandæ veniunt.*

Verumenimuerò me spe mea magnopere deceptum esse, vix tum paginam vnam alteramue legendo percurrerem, luce clarius intellexi. Nam præterquam quod in narratione nullus rerum gestarum certus ordo seruatur, nec ea quidem, quæ in toto decursu Colloquij præcipuè aduertenda erant, præcipua videlicet argumenta

gumenta ac responsiones vtriusq; partis adducuntur: Sed ex omnibus hinc inde, quod Hunnianæ calumniandi impotentiæ maximè opportunũ videbatur, carpitur, & vix quicquam sine mendacijs & calumnijs profertur; vt longè verius id scriptum Hunnij *historicam relationem*, seu mauis, *synopsin præcipuorum mendaciorum, & calumniarum*, quibus Catholici, occasione Colloquij Ratisbonensis, á Pseudoeuangelicis impetiti sunt, quam historicam relationem de colloquio Ratisbonensi, inscribere possis.

Aut fortasse argumenta ab vtraq; parte proposita, & principalia saltem responsa vtriusq; partis, *res quædam præcipuæ*, aut certe circa colloquium *præcipuè obseruandæ* Hunnio non esse videntur? Credo equidem. Velles enim non dubito, Hunni, tu cum tuis Collegis, vt ea non modo à nemine essent obseruata, sed etiam perpetua obliuione obliterata ex omnium memoria delerentur. Sed saltem mendacijs tuis, vt in cæteris fecisti, suffulta produxisses, si absq; fuco & fulcro nude & sincerè proferre pudor vobis erat. Tunc fortè speciem tibi aliquam sinceritatis, apud ignaros rerũ gestarum, ex tua industria conciliasses, tunc nihil in fauorem causæ tuæ nequiter dissimulasse, ac præterijsse, sed omnia iuxta normam veritatis exactè retulisse videri potuisses.

Jam verò quando hinc inde tantum, quæ ad malesanum stomachum tuum esse videbantur, carpis, nec argumenta, vel tuæ, vel nostræ partis, adfers, & nihilominus tamen chartam tuam inscribis, *historicam Relationem* de Colloquio Ratisbonensi, qua te exhibere ais *Synopsin præcipuam rerum quæ circa colloquium obseruandæ veni-*

unt; eam vix declinabis suspicionem, te parum bonâ fide in tua narratione vsum esse, imó etiam præcipua totius causæ momenta non aliã vtiq; ob causam, quàm quia vobis aduersa erant, prætermisisse. Neq; scio, quẽ Mosaicus hic Doctor sui facti autorem habeat, nisi fortè illum Iudæorum historicum, qui & ipse quoque in suæ gentis historia describenda pleraq; prætermisit, quæ malam suæ genti existimationem conciliare posse videbantur.

Et sanè mirum est quam Hunnius á seipso hac in re discors sit. In notis illis, quas ad epistolam Catholicam adtexuit, perstringit epistolæ authorem, quod omissis illis ignominiæ notis, quas à Prædicantibus in Colloquio contractas, epistolari stylo breuiter persequitur, non annotarit potius absurda, quæ (Hunnianæ mentis absurdo judicio) Iesuitæ in colloquio admiserint, de quibus infra suo loco ex instituto agetur. *Heus bone vir,* inquit Hunnius, *cur non potius annotasti, quàm fœdè fuerint tergiuersati Iesuitæ in suo nominando Iudice.* Hoc cum ita scriptori epistolæ illius exprobret Hunnius, & quasi festucam ex oculo illius euellere cupiat, non videt tamen cæcus Prædicãs, suos oculos longè crassiore trabe prægrauatos, & penitus obcæcatos esse, seque adeò neminem magis, quàm seipsum ferire. Etenim scriptori epistolæ, quæ nulli certæ materiæ astricta est, vitio sanè verti nequaquam potest, quod nõ omnia præsertim illa, quæ Prædicantes malint annotauerit: at Hunnius, qui se profitetur *historicam relationẽ de colloquio Ratisbonensi* scribere, & *synopsin præcipuarum rerum,* quæ circa colloquium notandæ veniunt, exhibere, excusari á vanitate

Fol. A 4.

nullo

nullo modo poteſt, dum præcipua quæq; partis vtriuſque Argumenta & Reſponſa prætermittit.

Deinde & illud quoq; vanitatem Hunnianæ Relationis redarguit, quod ait Hunnius, ſe *minimè reformidare ſuæ veraciſſimæ* ſcilicet *narrationis Deum & homines teſtes appellare.* Relat. fol. A. 2.

Quid enim opus eſt Relatorem præcipuarum rerum in Colloquio geſtarum, Deum inuocare teſtem, in ijs rebus, quæ publica fide, ex ipſo omnium Actorum eius Colloquij Protocollo, fieri poſſunt conteſtata? An forte Hunnius quia á publico Protocollo falſitatis damnari ſe videt, Deum ſuæ falſitatis patronum adſciſcere cogitat? Sed fruſtra. Vbi enim rerum geſtarum narratio á Protocolli teſtificatione aliena erit, tam parũ credetur Hunnio, etiamſi mille Deos (videtur enim plurium Deorum cultor Hunnius, vt infra patebit) in teſtimonium vocet, quam conſueto ſuo more abſq; vllo teſte mentienti.

Deinde quorum hominum teſtimonium inuocat Hunnius, an aſſeclarum ſuæ perfidiæ? eorum ſcilicet qui & ipſi fortaſſe cum Hunnio ſimilia mentiti ſunt? eorum inquam, qui ſibi, non veritati fauent? Credo; ſed horum teſtimonio nihil credo. An noſtrorum? nunquam, credo, id volet Hunnius. Quorum ergo? Eorum qui, ſepoſitis affectibus, quod æquum eſt, ſincere iudicant, quod verum eſt, candide indicant? Hos & ego velim. Sed quis tales vtriq; noſtrum dabit teſtes? A te ſanè non accipio. Quia vt in alijs, ita in hoc quoq; ſine dubio fallere me ſtudebis. Jtaq; dum inter nos quinam merito placere vtriq; noſtrum teſtes debeant, conuenit, mihi interim licebit, juxta

fidem

fidem Protocolli, quod quidem in ijs rebus, de quibus in Colloquio fit mentio, testem meæ relationis ante jam dederam, tuam, falsitatis & vanitatis redarguere: quanquam subinde tam absurdus Calumniator es, tam á veritate procul discedis, vt nec tuæ quidem factionis homines quandoq; intestes tuæ falsitatis inuocare dubitem.

Quod si, vt adulteris ac periuris olim fæminis, si quando falsum, impacto sibi maledicto, contestabantur, mox *inflato ventre computrescebat femur*, ita pari, & præsenti vindicta Deus etiamnum in omnes periuros animaduerteret, næ Hunnius tunc cautius testem suorum mendaciorum inuocaret Deum: Sed quia vindicta jam plerumq; in futurum differtur, & vt Ecclesiastes loquitur, *Quia non profertur citò contra malos sententia, absq; timore vllo filij hominum perpetrant mala.* Jtaq; mirum non est, si tam confidenter hæretici falsitatis suæ testem aduocent Deum, quàm ei in cæteris alioquin parum credunt; In quibus, vt loquitur S. Augustinus; *Mos jurandi seruatur antiquus, non vt à sceleribus (& mendaciis.) Metu Religionis prohibeantur, sed vt perjuria quoq; sceleribus cæteris addantur.*

Num. 8.

Ecclesi. 8.

August. lib. 3. De Ciuit. DEI. cap. 2.

Demum & illud Hunnianæ Relationis vanitatem demonstrat, quod sibi tantopere de commendatione suorum gratulatur ac blanditur Hunnius. *Quotquot,* inquit, *nostrarum partium interfuerunt Colloquio, summi & infimi, nobis rectè administratæ prouinciæ testimonia haud dubie perhibebunt, tum sincerum, tum amplum, & honorificum.* Quasi verò aut magnum, aut nouum sit, quod Simiæ simias, & Æthiopes Æthiopas amant, & quia magni sunt, nigrum albo colorem præferunt. Nihil hoc mirum est, Hunni,

Relat. fol. 2.

Hunni, quod qui à vobis stant, vestras commendant partes, quibus student. Quid enim aliud facerẽt? damnarent? sed se simul ac suam doctrinam damnarent, cui tam pertinaciter adhærere constitutum habent, vt ne Deo quidem damnanti credant.

Quanquam sanè nihil dubito adfuisse ex vestro etiam grege non paucos, quos cum vestram illam perpetuam tergiuersandi libidinem, confusam ac informem disputandi rationem, turpissimam formæ Dialecticæ fugam, puerilem ex scriptis omnia ferè lectitandi modum, absurda à vobis magno numero accumulata, quæ infra in catalogum redacta dabo, suis oculis cernerent, suis auribus haurirent, non minus vestri puderet occultè, quam pudebat apertè vestras deserere partes. Eius rei argumento esse potest illud, quod expertus ipse didici. Cum enim adhuc Ratisbonæ versarer, quidam vestrarum partium vir magnæ inter vos authoritatis, neq; vulgaris eruditionis, tuam illam informem disputandi rationem adeò improbauit, vt indignabundus diceret; ego certè longè aliter, quam ‟ Hunnius vobiscum disputarem neq; committerem ‟ vnquam vt in me syllogisticam & dialecticam formam ‟ desiderare possetis. Quid jam autem cum hac mole- ‟ stissima dictitatione, & declamatione proficitur, &c. ‟ De qua re etiam finita quadam sessione ex tuismet collegis Prædicantibus quosdam conquerentes audiui. Ita non est cur etiam de tuorum tibi commendatione vsque adeo blandiaris. Non enim omnibus places, quibus placere te putas. Etiam qui tuas partes fouent, tibi tamen tuoq; tam absurdo disputandi modo non omnes fauent, & si fortasse non semper, quod sentiunt liberè eloquantur.

Sed & *testimonium nobis* (inquit Hunnius) *vndiquaq; syncerum & incorruptum, sanctè fæliciterq; per Dei gratiam gesti muneris, obtentæq; victoriæ perhibebit Protocollum.* Omnino, Hunni, nihil dubites. Nam & in hunc vtiq; finem jam altera editio Protocolli, magno exemplarium numero Monachij in lucem edita est, penetratura etiam ad eas oras, ad quas vestræ forsitan editioni accedere integrum non erit, vt de victoria scilicet à vobis reportata, de vestra, inquam, tergiuersatione & disputandi deformitate, de imperitia tam argumentandi, quam respondendi, de turpissima fraude in Protocolli violatione commissa, de plurimis vestris absurdis toti mundo constet. Equidem planè sentio, hæreticos disputando vix vnquam suæ fraudis, tergiuersationis, & odij erga dialecticam formam, magnificentius trophæum erexisse, quam sit hoc ipsum Actorum Colloquij Ratisbonensis Protocollum: A me quidem tantum abest, vt, quoad res in eo contentas, Protocolli testificationem reformidem, vt & ipsum quoq; in eius Relationis, quam de Colloquij Actis edidi, testimonium jam pridem aduocarim.

Idq; cum similiter faceret Catholicus ille, qui Epistolam Hunnianis notationibus adornatam scripsit, incertus tamen adhuc Protocolli edendi, ecce quam argutè in suis illis notationibus perstringit eum Hunnius. *Ad Protocollum,* inquit *prouocat. Quid mirum? nam & Iudæi non dubitabant in suis contra Christum disputationibus prouocare ad ipsum Mosen, licet ab eodem condemnarentur inscij.* Acutè dictum, sed quod non magis nos pungat quam Hunnium, cui idipsum totidem verbis reponi potest: Is enim *putat* quidem, aut saltem putare se simulat,

Not. Fol. B. 1.

ſimulat, in Protocollo ſe *vitam* & victoriam habere. Sed quid mirum? Nam & Judæi non dubitabant, in fuſis contra Chriſtum diſputationibus, ſe *vitam* & victoriam habere *in ſcripturis* licet ab eiſdem condemnarentur inſcij. Atq; hæc ad vanitatem Hunnianæ Relationis generatim demonſtrandam ſufficiant. Nunc eam in ſpecie refutandam aggrediamur.

CAPVT SECVNDVM.

JN QVO EXAMINANTVR ea, quæ de occaſione, & Argumento, colloqij narrat Hunnius.

QVALIS hiſtoricus ſit Hunnius, & quam decoro capiti caudam nectere poſſit, mox exordio ſuæ narrationis demonſtrat. Aggreſſus enim narrare occaſionem diſputationis, de eius themate ſiue Argumento quæſtioné mouet: *Occaſionem ergo*, inquit, *quod attinet mirabitur fortè quiſpiam, qua cauſa moti Sereniſſimi Illuſtriſſimiq; Principes, Dux Bauariæ Maximilianus, & Dux Palatinus Rheni Philippus Ludouicus &c. hoc potiſſimum thema de norma doctrinæ & fidei Chriſtianæ, deq; controuerſiarum Religionis judice, voluerint colloquio ad id peculiariter inſtituto ventilari?* Verum nihil hoc ego miror. Caput enim & fons hic eſt omnium aliarum particularium controuerſiarum cuius vena ſemel interciſa facilis erit conſenſio. Conſenſionis ergo cupidi Principes, ante omnia caput ipſum diſcordiarum, ac diſſenſionum amputandum Hunn. Relat. fol. A. 2.

merito existimarunt. Itaq; non istud, sed tuam potius, Hunni, ineptiam mirabitur, quisquis hoc leget, quod de occasione colloquij tractare proponens, de Argumento disseris, eiusq; rei admirationem mouere satagis, quam nemo sanus mirari potest.

Sed sequamur te vtcunq; absurdum narratorem, quandoquidem Venator, vt maximè per deuia abripiatur fera, eius insistere vestigijs debet, si captam velit: neq; multum spero, exerrabit hic erro, quin nostros in casses incidat. Ait ergò Hunnius; sibi suisq; collegis justas quasdam ob causas, hoc disputationis thema acceptandum fuisse, licet alioqui, *omnes pij censeant, debere hoc extra disputationis aleam omnem positum esse, &c. Adeo vt qui negat scripturam sacram esse vnicam normam doctrinæ & fidei, & controuersiarum Religionis judicem, is principia negare, & Christianitatis arcem conuellere videatur.* Felicia profecto auspicia historicæ istius narrationis.

Hunn. ibid.

Simul enim & narrare, & mentiri incipit Hunnius pari profectu & gradu. Crassum enim & impudens mendacium est, quod apud omnes pios extra controuersiam fuerit, scripturam sacram esse vnicam normam doctrinæ & fidei. Rectius & verius dici potest: Apud omnes pios extra controuersiam fuisse, scripturam sacram non esse vnicam normam fidei, sed præter eam traditiones quoq; non scriptas Ecclesiæ admittēdas esse: Id quod consentientibus plurimorū sanctorum Patrum testimonijs ipsi Protocollo annexis luculenter comprobatum est.

Mend. Hunn.

Exempli loco sufficere possunt hæc quatuor. Dionysius Areopagita Apostolorum σύγχρονος. *Primi illi,* inquit, *nostri sacerdotalis muneris Duces in ijs, quæ nobis sunt familiaria,*

Dionys. Areop: lib de Eccles. Hierarch Cap. 1.

miliaria, summa illa & supersubstantialia, partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis (juxta quod sacræ definiunt leges) nobis tradiderunt. Deinde Sanctus Basilius, *Dogmata*, inquit, *quæ in Ecclesia prædicantur quædam habemus è doctrina prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto tradita recipimus. Quorum vtraq; parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit, quisquis sanè vel tenuiter expertus est, quæ sint jura Ecclesiastica.*

Basilius in lib. de Spiritu sancto Cap. 27.

Ex latinis author antiquissimus Tertullianus, Cum multas traditiones non scriptas recitasset, atq; in ijs etiam hanc vltimam, *Ad omnem progressum atq; promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lauacra, mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcunq; nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus*, hæc infra subiungit verba: *Harum & aliarum eiusmodi disciplinarum, si legem expostules scripturarum, nullam inuenies, traditio tibi prætendetur autrix, &c.* Et paulo post: *His igitur exemplis renunciatum erit, posse etiam non scriptam traditionem in obseruatione defendi, confirmatam consuetudine, idonea teste probatæ tunc traditionis ex perseuerantia obseruationis. Consuetudo autem etiam in ciuilibus rebus pro lege suscipitur, cum deficit lex.* Sanctus Augustinus, *Quod vniuersa, inquit, tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Et in eundem sensum alio loco, *Ecclesiasticarum*, inquit, *institutionum, quasdam in scriptis, quasdam vero Apostolica traditione, per successiones in ministerio confirmatas accepimus: Quasdam vero consuetudine roboratas vsus approbauit: quibus par ritus, & idem vtriusq; pietatis debetur affectus. Vnde quis vel aliquantulum sacrarum expertus scripturarum hæsitauerit? si autem attentauerimus, consuetudines Ecclesiæ non per scripturas à Patribus traditas nihil æstimare,*

Tertullianus de corona militis Cap. 3.

Lib. 4. de Baet: contra Donat: Cap. 24.

Lib. ex dictis Basilii de Spiritu sancto. Cap. 27.

Quantum religio detrimenti sit latura, intentè inspicientibus liquidò constabit.

Hæc & similia plura in ipso Protocollo habentur, ad quæ ne verbulo quidem ab aduersarijs responsum est. Dicat ergò nobis Hunnius, an isti pij sint, an impij, impius profectò ipse si asserat, mendax si neget.

Et vero tantum abest, vt omnes pij senserint, scripturam sacram esse vnicam normam doctrinæ & judicem controuersiarum, reiectis Ecclesiæ traditionibus, vt omnes potius impij & hæretici non aliter senserint. Jta enim traditiones Ecclesię non scriptas reiecerunt Valentinus & Marcion, teste Jrenæo ac Tertulliano; Maximinus Arrianus, teste Augustino: cæteri Ariani teste Epiphanio; Eunomius teste Basilio, Nestorius, Eutyches, & Jconomachi teste septima Synodo vniuersali, hæretici contra quos scribit S. Bernardus, Ioannes Wiccleffus teste Waldense. Vides ergo, Hunni, quam crasso mendacio initio statim relationis tuæ te obstrinxeris.

Iren. lib. 3. aduersus Valentinum cap. 2. Tertul. lib. de præscriptionibus. August. lib. contra Maximinum. Epiph. Hæresi 73. Sept. syn. In confess. Basil. an Cyr. Anath. 7. Bern. Homil. 66. in Cantica. VVald. lib. 2. Doctrin. Cap. 19.

Mend. Hunn.

Non minus luculentum est mendacium, eum qui scripturam negat vnicam normam, &c. Omnium quoque piorum judicio, *principia negare, & Christianitatis arcem conuellere videri.* Jmpiorum enim hæc est sententia, non piorum, qui semper existimarunt, hæc ipsissima hæreticorum principia esse, quibus negatis, non Christianitatis, sed ipsius Hæresios arx conuellatur, & penitus deijciatur. Cuius te, vt & Colloquij Wormatiensis Collocutores Pseudoeuangelicos, à quibus Colloquium illud abruptum esse prædicas, eam solam ob causam, quod Catholici his vestris principijs litem intentarent, tutores ac propugnatores egregie demonstras.

Quod

Quod verò ais, *Et sanè licuisset nobis, eodem exemplo, eademq; de causa, Pontificios Doctores, tanquam principia negantes, ilico repudiare,* rursum mendacijs mendacium cumulas, quod non aliunde refello, quam ex tua propria confessione, cum paulo post subiungis, etiam *hoc thema,* (sit ne scriptura vnica fidei norma & judex) *esse ex eorũ numero, de quibus Apostolus Petrus responderi velit à Christianis cuilibet petenti.* Si ergò de hoc etiam themate, juxta præceptum Apostoli, reddenda à nobis ratio est cuilibet petenti, quomodo licuisset obsecro vobis disputationem seu Colloquium hac de re detrectare? Ecce tuis te verbis, Hunni mendacij reum teneo, quando tam parum memor es illius vulgaris, *mendacem memorem esse oportet.* Atq; hęc mendacia, quasi præludia, quędam sunt Hunnianæ Relationis. Porrò vt ostendat Hunnius, merito se eius modi thema disputationis acceptasse, aggreditur narrationem Actorum eius Colloquij, sed consueta sibi fide. *Anno 1599. Placuisse,* ait, *Principibus, priuatam aliquando collocutionem inter suos vtrinq; Theologos institui.* Sed addere debebat Hunnius, Jllustrissimum Comitē Palatinum, eiusmodi petitionem, de instituendo Colloquio, serenissimo Bauariæ Duci, proposuisse primā. sed quia hoc parum facit ad vestrum stomachum, ideo sine scrupulo omittis. *Præcipua* enim tantum per sequeris, hoc est, quæ tibi præcipuè placent, etiamsi causam alioquin principalem parum concernant. Sed benè habet; quid ergò amplius? *Cum Pontificij non obscurè animaduerterent,* inquit Hunnius, *Illustrissimum Principem Ducem Palatinum, &c. eo propendere, totum vt Colloquium in actum traduceretur, ibi verò illi respectare latebras, diuerticula quærere, totisq; neruis eò contendere vt de ipsismet articulis controuersis ex scriptu-*

Hunn. Relat. fol. A. 3.
Hunn. mend.
Hunn. fol. A. 4.
1. Petri Epist. 3.
Hunn. Relat. fol. A. 3.
Hunn. Relat. ibid.

ſcriptura nunquam diſputandum foret. Non aliud ſanè augurabar futurum. Nulla videlicet narratio Hunnij ſine mendacio. Tantum enim abeſt, *vt noſtri latebras reſpectarint, aut eò contenderint, vt de ipſiſmet articulis controuerſis ex ſcriptura nunquam ſibi diſputandum foret*, vt ipſi potius Prædicantes è latebris iniquiſſimorum poſtulatorum in apertum campum, pari conditione depugnaturos, educere omni modo ſtuduerit, nihil magis poſtularunt, quam vt ante omnia de præcipuo controuerſiarũ articulo, tanquam fonte & origine aliorum omnium, diſputaretur, juxta ea quæ in relatione à me dicta ſunt.

Hunn. mend.

Part. 1. cap. 1.

Sed probat Hunnius hoc ſuum mendacium tribus nouis mendacijs, conſuetis Hunnio probationibus. Primo quia Catholici *poſtulatis abſurdis.* Secundo quia *iniquis.* Tertio quia *inauditis & ab vſu priorum ſeculorũ, omniq́ʒ praxi Eccleſiæ remotis & alienis, negotium de die in diem ducere* cœperunt. Dignum ſanè patella operculum. Quî enim probari poſſit mendacium, niſi mendacijs; Sed audiamus poſtulata illa *abſurda, iniqua, inaudita.* Primum ergo poſtularunt Catholici *ne prius de doctrinæ capitibus iniretur diſputatio, quam conſtaret de libris Biblicis, qui habendi pro canonicis, qui verò pro Apocryphis.* Itaq; hoc primum Catholicorum *poſtulatum, abſurdum, iniquum, inauditum* erat, quod ante omnia, prout doctrinæ ratio exigebat, cuperent de principijs, ex quibus argumenta & probationes vtrinq; petendæ eſſent, diſputare, ſicut etiam contra Manichæos ſæpè eadem de re diſputauit Auguſtinus, probans libros veteris Teſtamenti diuinos & canonicos eſſe, quod Manichæi negabant, vt videre eſt in libris aduerſum Fauſtum Manichæum, & in duobus libris contra aduerſarium legis & Prophetarum, quos

Mendacia Hunn. Relat. fol. A.3.

quos ea de re præcipue conſcripſit Auguſtinus. Sed Hunnio, quia malam ſe cauſam hic fouere ſciebat, & nec ipſos quidem Pſeudoeuangelicos hac in re cōcordes, poſtulatum hoc, vt inuiſum, ita & inauditum erat, tam ſedulò priorum ſeculorum, & Eccleſiæ praxis inueſtigatori, quam ſtudioſo ſectatori.

Secundò *poſtulabant* (Catholici) ait Hunnius *ne prius admitteremur ad diſputationem ex ſcriptura, quam à nobis monſtratum eſſet, omnia quæ ad Chriſtianiſmum, fidem, cultum, mores, & gubernationem Eccleſiaſticam requiruntur in ſacra ſcriptura comprehendi.* Alterum ergo poſtulatum Catholicorum *abſurdum iniquum, & in auditum* erat, quod cum Prædicantes abſurdiſſime, iniquiſſimè, & ab omni praxi veræ Eccleſiæ alieniſſime poſtulaſſent, vt in futuro Colloquio ſola ſcriptura eſſet vnica norma & judex omnium controuerſiarum religionis, Catholici hanc poſtulationē, velut ab omni ratione alienam, repudiarunt, & petiuerunt, vt hoc ipſum poſtulatum, quod orthodoxi pro errorum omnium, & ipſius huius confuſionis Babylonicæ, quæ in Eccleſia per tam diuerſas hæreſes excitata eſt, fonte haberent; thema atq; argumentum eſſet diſputationis. Neq; vero ideo *ſpiritu vertiginis*, vt vertiginoſum cerebrum Hunnij ſomniat, *agebantur* Catholici, licet alias ſeſe obtulerint *ad diſputandum de omnibus controuerſis articulis ex ſola ſcriptura ſacra.* Jmprimis enim aduerſariorum judicio, quæſtio hæc in articulis non numeratur. Deindè cum Catholici ad diſputandum ex ſola ſcriptura ſacra de omnibus articulis ſeſe offerrent, in ipſis vtiq; etiam hunc articulum controuerſum cenſebant, an ſola ſcriptura ſit vnica fidei norma & juexd probaturi etiam ex ſcripturis, alias præterea fidei

Hunn. relat. ibid.

regulas, aliumq; judicem agnoscendum, vt à nobis quoq; in Colloquio probatum est. Neq; verò quæstionem illam, An & quænam sit sacra scriptura, vllus Catholicorum ex sola scriptura decernendam sumpsit.

Hunn. relat. ibid. *Tertium postulatum* (inquit Hunnius) *non minus erat absurdum, & ad impediendum potius, quam prouehendum Colloquium comparatum, videlicet antequam de dogmatibus ineatur συζήτησις, probandum nobis incumbere, quod habeamus spiritum sanctum, vtpote sine quo scripturam nemo quisquam intelligere, aut explicare valeat.* Æquissimum sanè postulatum, nec ad impediendum Colloquium comparatum, nisi cum ijs, qui etiam honestissimis & æquissimis cōditionibus ad Colloquium adduci non possint. Quid enim maiore jure, tum ab Hæreticis omnibus, tum à Pseudoeuangelicis istis, hoc tempore, postulari potest, quam vt, quia omnes pari audacia scripturas crepant, omnes scripturis innituntur, omnes per scripturam Ecclesiam Catholicam, ac se ipsos quoq; mutuo impugnant, prius ipsi ratione aliqua demonstrent, si vllam sibi fidem haberi cupiunt, se verum scripturæ sensum consecutos esse, ac proinde, quia absq; Spiritus sancti lumine ipsimet fatentur scripturas probè intelligi non posse, se Spiritum sanctum habere. Quod quam diu ipsi non faciunt, vt quidem *in omnem sempiternitatem*, vt cum Hunnio loquar, nunquam facient, tam diu certe Catholici jure optimo nec suam fidem deserunt, nec aduersariorum clamoribus auscultant, plane persuasi ab ijs scripturæ sensum expetendum sibi esse, quorum authoritate commoti crediderint scripturas esse. Nec alius fuit olim sensus S. Augustini, quando tam confidenter ob eandem causam hæreticis insultabat: *Cur*

Augustinus de vtilit. cred. cap. 14.

non

non, inquit, apud eos potissimum diligentissimè requiram, quid Christus praeceperit, quorum authoritate commotus, Christum aliquid vtile praecepisse, jam credidi? Tunc mihi melius expositurus es, quid ille dixerit, quem fuisse aut esse non putarem, si abs te hoc mihi commendaretur esse credendum? Hoc ergo credidi, vt dixi, fama, celebritate, consensione, vetustate, roborata; vos & tam pauci, & tam turbulenti & tam noui, nemini dubium est, quin nihil dignum authoritate proferatis. Quae igitur ista tanta dementia est, iis crede, Christo esse credendum, & à nobis disce, quid dixerit. Cur obsecro te? Nam si illi deficerent, nec me quicquam docere possent, multo facilius mihi persuaderem, Christo non esse credendum, quàm de illo quicquam cuiquam, nisi ab his, per quos ei credidissem, discendũ. O ingentem confidentiam, vel potius ineptiam, ego te doceo quid Christus praeceperit, cui credis. Quid si non ei crederem, num aliquid de illo me docere posses? Sed oportet, inquit, vt credas. Num vobis eum commendantibus? Non, inquit, nam nos illos, qui ei credunt, ratione ducimus. Cur igitur illi credam? Quia fama fundata est, vtrum per vos an per alios? per alios, inquit. Illis ergo credam, vt tu me doceas? deberem fortasse, nisi me hoc illi praecipue monerent vt omnino ad te non accederem. Dicunt enim perniciosas vos habere doctrinas. Respondebis, mentiuntur, quomodo igitur eis de Christo credam, quem nolunt videre? Scriptis ait crede. At scriptura omnis, si noua & indubitata proferatur, vel commẽdetur à paucis, nulla confirmante ratione, nõ ei, sed illis, qui eam proferunt, creditur. Quamobrem scripturas istas, si vos profertis tam pauci, & incogniti non libet credere: Smul etiam contra promissum facitis, fidem potius imperando, quam reddendo rationem. Rursus me ad multitudinem, famamq; reuocabis? Cohibe tandem pertinaciam, & nescio quam indomitam propagnandi nominis libidinem, & mone potius, vt huius multitudinis Primates quaeram, & quaeram diligentissimè & laboriosissime, vt ab his potius de his litteris aliquid

aliquid discam, qui si non essent, discendum omnino esse nescirem. Tu vero in latebras tuas redi, nec quicquam insidiare nomine veritatis, quam conaris eis adimere, quibus authoritatem ipse concedis. Ita si Augustinus, qui si hoc Hunnio dixisset, audire vtiq; ab eo deberet eiusmodi ratiocinationem *absurdam, iniquam, & inauditam* esse.

2. Petri. 1. Deindè cum, ipsâmet scripturâ testante, *Omnis Prophetia scripturæ propria interpretatione non fiat, & indocti & instabiles.* (Hæretici præcipuè) *scripturas deprauent ad suam ipsorum peditionem*, atq; ideò *spiritus probandi si ex DEO sint,* quis non videt, meritò ac jure optimo Catholicos voluisse, de hoc puncto imprimis cum hæreticis disceptare, Vtrinam habeant Spiritum sanctum scripturas interpretantem. Neq; enim simpliciter ab Aduersarijs postulatum, (etsi jure postulari potuisset, tanquam ab accusatoribus Ecclesiæ) vt ipsi duntaxat hoc onus probandi in se susciperent, sed vt ex æquo, & paribus conditionibus, hac de re vtrinq; colloquendo disceptaretur.

2. Petri 3.

1. Ioan. 4.

Sed ait Hunnius, *nos de nobismetipsis dubitare, adeoq; ratione nostri dogmatis dubitare jubere, num Spiritum sanctum habeamus vel non?* Itaq; immerito à se exigi probationem eius rei de qua nos ipsi dubitare cogamur. Sed oberrat cęcis tenebris immersus Prædicans, & aut fallitur miserè, aut malitiosè fallit, non enim dubitamus, quin in Ecclesia nostra Catholica sit Spiritus sanctus, verum scripturæ sensum pandens. Scimus enim Ecclesiæ promissum Spiritum sanctum, qui eam *doceat omnem veritatem*: scimus itidem & firmiter credimus hanc solam esse veram Ecclesiam: id quod Aduersarijs luculenter eramus probaturi, nisi eorum culpa, spe citius, Collo-

Ioan. 16.

quium.

quorum fuisset abruptum: Sed hoc solummodò asserimus, neminem citra peculiarem reuelationem, aut per fidem, aut per absolutam euidentiam, certum infallibiliter esse posse, an gratiam Spiritus sancti iustificantem, & peccatorum remissionem adeptus sit. Verum nec hoc quidem absolutè dubitare iubemus, vt mentitur Hunnius, sed solum nequis aliqua sententiæ temeritate, id tanquam infallibiliter certum, sibi polliceri ausit. Hunn. mend. Hunn. relat. fol. A 3.

Sed numerat Hunnius quartum postulatum, vt videlicet Prædicantes, *ante omnem de doctrina disputationẽ probent, esse se in Ecclesia: siquidem extra eam, nulla sit scripturæ intelligentia vel interpretatio.* Iustissima petitio vt de Ecclesia quoq; prius disceptetur, quam ad alias controuersias in specie ventilandas descendatur. Nam & hæc quoq; generatis & principatis quædam controuersia est, qua decisa & composita, cæteras quoq; componi necesse est. Vbi enim Ecclesia vera est, ibi vtiq; vera scripturæ interpretatio, vera doctrina fidei, purus Dei cultus, sacramentorumq; legitima administratio est, vt omnino inuenta circa hanc quæstionem veritate, de alijs nihil magnopere disceptare opus sit. Et hæc ipsa controuersia est quam toties, & tam accuratè, passim contra Donatistas tractauit Augustinus, & ex cuius Catholica decisione, velut vniuersali quodam principio ac fonte, argumenta petiuit, ad omnem doctrinam Donatistarum, à Catholica Ecclesia dissentientem, reijciendam & improbandam. Hæc præcipua radix est, ex qua idem contra S. Cyprianum Catholicam doctrinam de Hæreticis non rebaptizandis tam strenuè propugnauit. Hæc ipsa controuersia est, quam

primam omnium, cum Felice Manichæo disputans, mouit Augustinus, *Proba nobis*, inquit, *quomodo iste Manichæus sit Apostolus Iesu Christi.* Quod tantundem est ac si dixisset Augustinus, proba nobis, quod Manichæus non tanquam *fur & latro* in ouile ascenderit, sed per *ostium* introierit, & legitimè ad Prædicandũ vel docendũ, nouumq́; Euangelium mundo inferendum sit missus. Hoc enim si probaueritis, jam non *concilium impiorum*, non *synagogam Sathanæ*, sed veram Ecclesiam Christi vos esse constabit. Hæc ipsa controuersia est, de qua vel sola cum hæreticis disputandum voluit Tertullianus. *Hunc igitur*, inquit, *potissimum gradum obstruimus non admittendos eos ad vllam de scripturis disputationem; si hæ sunt vires eorum, anne eas habere possint, dispici debeat, cui competat possessio scripturarum, ne is admittatur ad eas, cui nullo modo competit.* Et infra. *Ergo*, inquit, *non ad scripturas prouocandum est, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut parum certa. Nam etsi non ita euaderet, collatio scripturarum, vt vtramq; partem parem sisteret, ordo rerum desiderabat illud prius proponere, quod non solum disputandum est, quibus competat fides ipsa, cuius sint scripturæ, à quo & per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani, &c.* Vides ergo, Hunni, prius disputandum *cui competat possessio scripturarum, quibus competat fides ipsa*, atq; adeo quænam sit vera Ecclesia, cum huic vtiq; *possessio scripturarum & fides ipsa* competant? Vides ex eiusdem Authoris doctrina, *ordinem rerum desiderare*, vt hæc controuersia prius tractetur? vides hæreticos ad aliam disputationem antea non admittendos? Vides ergò, postulatum hoc non esse *absurdum, iniquum, inauditum, & ab Ecclesiæ praxi alienum*, Sed rationi, æquitati, praxi Ecclesiæ quam maximè consonum.

August. in act. cum Felic.

Tertul. lib. de præscript. cap. 15.

Idem cap. 19.

num. Vides, quot in vna ac eadem sententia eodem rictu oris tui calumniosa mendacia effutiueris. Vides, inquam, sed frustra vides, si visa placent, si visa inuisa non fiunt, sed videamus cætera postulata.

At ne sicquidem acquiescentes, inquit Hunnius, *aliud insuper diuerticulum sibi quærebant, dictitantes, non posse de controuersis capitibus disputari, priusquam de norma constet fidei, & controuersiarum judice.* Quod de norma ais, hoc nouum postulatum nullum continet, continetur enim in secundo illo postulato, quod æquissimum esse supra ostendi. Quod de judice addis, nec id quidem iniquum est, nisi iniquis rerum æstimatoribus. Cum enim ad conciliandas controuersias & norma & judice opus sit, jure quoq; de judice prius conueniri oportebat; cum præsertim & hæc quoq; controuersia in earum numero sit, quibus decisis, nulla de alijs articulis pertinax manere possit controuersia. Relat Hunn. Da.

Sed lucifugi Prædicantes pro duabus aut tribus controuersijs, ex quarum ventilatione de omnibus alijs judicium fieri potest & debet, viginti aut triginta alias statim ab initio partiales obtrudere conabantur, ex quibus cum singulæ non multo minus temporis requirerent, quam tres illæ generales, tamen etiam singulis decisis nullum ad alias componendas aut dijudicandas, adiumentum accederet: Vt ita ne sperari quidem posset aliqua in fide coniunctio & consensus, ob quem tamen finem vnicè ab vtroq; Principe instituta fuerat disputatio.

Libenter autem fateor à Catholicis negatum, *quod scriptura sacra sit vnica norma fidei & controuersiarum Religionis judex quodq; nihil quicquam in rebus fidei & cultus, sit credito*

factus

factuq́; necessariũ, nisi quod etiam expresse contineatur in scriptura, vel per bonam consequentiam, ex ea sola (remota Ecclesiæ infallibili authoritate) *deduci queat*, quinetiam libenter agnosco idipsum pronunciatum esse fontem & radicem omnium hæresium & Babylonicæ confusionis. Sed vel negationem illam impiam esse, vel hanc affirmationem Blasphemiam, vt Hunnius ait, nullus nisi impius & Blasphemus dixerit.

Nec dubito, Hunnium contra mentem suam loqui, quando ait, *impiè negatum, nihil quicquam in rebus fidei esse creditu necessarium*. nisi quod ex scriptura sola euidenter deducatur, cũ ipse toties in Colloquio, cõpellente necessitate, cõcesserit, & cõcedere debuerit, credendũ esse aliquid necessario, & quidem diuina ac infallibili fide, quod tamen ex sola scriptura sufficienter nõ colligatur, nempe esse scripturam aliquam canonicam, libros Mosis esse canonicos, euangelium S. Matthæi esse Matthæi, atque adeo verbum DEI, &c. Dum igitur cæca calumniandi libidine abreptus Hunnius Catholicos impietatis arguit, seipsum pariter & impietatis, & mendacij condemnat. Hunn. mend.

Sed necdum absurdarum postulationũ, siue commentationũ satis apud Hunniũ, cui & illud quoq; displicet, quod nostri *si post omnia illa postulata præstita, veniendum tandem sit ad articulos, tum eum, qui est de persona Christi & Vbiquitate, primo loco disceptandum esse:* id quod factum esse dicit Prædicans, *ne vnquam deueniretur ad articulos Papatui proprios*. Sed nimirum Prædicantem male habet, quod de ea controuersia Catholici prius disputationem instituere postularint, in qua tam malè ipsi sibi conscij erant, & mutata toties sententia, eam tandẽ complexi Hunn. relat. f. A. 4.

quam,

quam, vtpote naturali etiam rationis lumini apertè repugnantem, nequaquam sustinere se posse videbant. Certe quidem nulla causa alia justa assignari potest, cur eam tantopere refugerint, cum alioquin inter omnes alias controuersias particulares, quæ inter nos & aduersarios intercedunt, hæc ratione objecti sit præcipua, atq; idcirco etiam à Bellarmino exactissimo controuersiarum tractatore, hæc cæteris præposita sit.

Deinde cum hæretici huius temporis omnes, qui sese ab Ecclesia Catholica separant, accusatores sint Ecclesiæ, eamq; ex sua possessione in quam dudũ ante Lutherum venerat, extrudere conentur, ipsi profectò à Catholicis jure cõpelli possunt, vt quoslibet articulos accusationis (pro arbitrio Catholicorum) planos testatosq; faciant, quod quamdiu non pręstant, etiam citra vllam aliam purgationem & probationem à Catholicis exhibitam, jure ac merito tanquam calumniatores, repelli possunt, cum secundum regulam juris, *qui prior est tempore, potior sit jure & in pari causa potior sit conditio possidentis.* Reg. 54. in 6. Reg. 65. in 6.

Hic nempe Tertulliani sensus erat, hæc sententia, quando hæreticos qui post Apostolorum tempora emerserant, hac oratione exsibilandos censuit. *Qui estis? quando & vnde venistis? quid in meo agitis non mei. Quo deniq; Marcion jure syluam meam cædis? qua licentia Valentine fontes meos transuertis? Qua potestate Apelles limites meos commoues? MEA EST POSSESSIO. Quid hic cæteri ad voluntatem vestram seminatis & pascitis? MEA EST POSSESSIO OLIM* (ante annos mille quingentos,) *POSSIDEO, PRIOR POSSIDEO, habeo origines firmas ab ipsis,* Tertullianus de præscript. cap. 37.

 autho-

authoribus, quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum, sicut cauerunt Testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adjurauerunt, ita teneo. Vos certe exhæredauerunt semper, & abdicauerunt, vt extraneos & inimicos.

Sed non est hic articulus proprius Papatui, inquit Hunnius. Sed quid tum? Papatum in vno seu proprio, seu communi articulo falsitatis & erroris conuincere, paris victoriæ, paris gloriæ est, imò hoc eo maioris, quò plures ita simul hostes prosternuntur. Jtaq; potius hoc ipso lætari debebant aduersarij, si qua animo virtus erat, quod offerri hac ratione sibi occasionē intelligerēt vno eodéq; conflictu plures simul hostes debellandi.

Sed ne quicquam sine mendacijs & calumnijs proferat Hunnius, ait primo *eius controuersiæ tractationem*, quòd videlicet Christus secundum suam humanitatē non sit vbiq; *ante annos non ita multos è Caluinismo natam.*

Menda. Relat. Hunn. f. A. 4. Secundo, *Iesuitas nouum locustarum infernalium genus, in hoc quoq; articulo, præter consuetudinem veterum Papistarum, cum Caluinistis se conjunxisse, vt mensuram omnis impietatis adimplerent.* Sed nihil præter consuetudinem suam agit Hunnius, vbiq; mendax, vbiq; calumniator, sui per omnia similis, *vt mensuram omnis impietatis adimpleat* Quod si ficus, aut bona quælibet arbor esset, forsitan maledictum etiam in terris non euaderet, dum vsqueadeo malos fructus ferre non desinit, sed quia arbor mala est, & sua jam indole æternis, ni se emendet, incendijs destinata, quis ei indignetur potius, quam commiserescat? Calumniam ergo, non aliter amolior, nisi quod calumniam esse dico, nulli pernitiosam, nisi authori.

Quod verò doctrina illa Jesuitarum noua sit, tam

crassum, & impudens est mendacium, vt non alijs quam ipsorum aduersariorum verbis refutari mereatur. Omitto hîc quod infra ponam Prædicantium Witebergensium de prodigiosa illa vbiquitate judicium, quod suo Principi quondam obtulerunt.

Certe Philippus ille tam egregius confessionis Augustanæ Faber, cui nolint velint, plus vtiq; fidei accommodare debent Lutherani, quam Hunnio Heerbrandi discipulo: *Alij*, inquit, *Vbiquitatem excogitarunt &c.* Et infra. *Hæc sunt* inquit, *portentosa omnia, ignota eruditæ vetustati.* Audis Hunni, non negationem vbiquitatis, sed eius assertionẽ nuper *excogitatam, portentosam, ignotam vetustati?* Philip. in Epist. ad Frid. com. Pal.

Eodem ferè stylo non ita pridem Saxonici Prædicantes, ex quibus forte aliqui ipsius Hunnij magistri fuêre, portentosam illam vbiquitatem perstringunt. Ita enim definiuit Synodus illa vestra Dresdensis in Saxonia celebrata. *Commentitia ista*, inquit, *communicatio physica, quæ nostro primum tempore, cum vbiquitate corporis Christi introduci coepta est, vniuersæ orthodoxæ Ecclesiæ, & toti orbi Christiano, inde vsq; ab initio incognita fuit, atq; etiamnunc à Pontificijs ipsis reijcitur & taxatur acerrimè.* Loquitur autem de communicatione illa physica, vbiquistarum per quam attributa diuinitatis, & in ijs quoq; imprimis ipsum attributum vbiquitatis, Christi humanæ naturæ ita communicentur, vt de ea quoq; prædicari possint, eamq; cum vbiquitate nostro primum tempore introduci cœptam esse asserit. Et infra quoq; clarioribus ad huc præconijs, idipsum vbiquitatis comentum exornans, eadem Synodus sic ait: *Commentitia illa vbiquitas horrendũ in modum corrupit omnes ferè articulos fidei, de Christo, ac discrimen diuinæ & humanæ naturæ imprimis delet atq; euertit.* Synod. Dres. Ann. 1571.

Quid tibi videtur Hunni, de istius non Iesuiticæ, sed Prædicanticæ, non Bauaricæ, sed Saxonicę, non Papisticæ, sed Lutheranæ synodi definitione, cui omnes totius Saxoniæ superintendentes, nec non & Academiarum Lypsiæ & Wittebergæ Doctores interfuerunt & consenserunt. Vtrum vis elige, aut istos esse mentitos fatere, aut teipsum mentitum agnosce, & rursus aut in Saxonia nondum veram Euangelij doctrinam etiam circa ipsosmet fidei articulos, nec anno quidem millesimo quingentesimo septuagesimo primo, quinquaginta scilicet annos ab exortu vestri Euangelij Lutherani effulsisse, aut jam rursus à tempore discordis illius concordiæ extinctam esse. Applausum verò Caluinisticum quem nos hinc captare autumas, facili à nobis pretio redimes. Propter Caluinistas certe, aut per Caluinistas doctrina hæc mundo non innotuit, vt quæ tot jam ante seculis inconcussa permansit.

Atq; hæc sunt iniqua illa scilicet, absurda & inaudita postulata, quibus Catholici successum Colloquij impedire, imo verò vt quam felicissime succederet, prouehere nitebantur.

Sed cur vos, ô Prædicantes, si quidem ea tam iniqua, absurda, & inaudita postulata erant, æterno Catholicorum dedecore, audacter non denegastis? cur tandem admisistis? Tres huius rei rationes assignat Prædicans, sanè perquam graues. Prima est, ne existimare possent Catholici *se nondum collatis signis, de parta victoria gloriandi, plausibilem ansam habere* cum alioqui Prædicantes audacter *prouocarent, vt si sint cordati viri, secum congrederentur.* Pulchra sanè dictorum harmonia. Proponebant Catholici postulata *absurda, iniqua, inaudita* &

Relat. Hunn. fol. A. 4.

Prædi-

Prædicantes ea vel inuiti admittere debuerunt. ne aliqui Catholici haberent *plausibilem ansam* gloriãdi. Recte nesanus es Hunni, dum ita insanis? quasi vero plausibilis ansa gloriandi suppetere possit ijs, quibus *absurda, iniqua, inaudita* postulata negantur. Certè vel his ipsis verbis tuam calumniam redarguis, cum satis ostendis, vsq; adeo non fuisse *absurda, iniqua, inaudita* postulata Catholicorum, vt etiam à vobis negata *plausibilem* aliquam *gloriandi materiam* suppetere possent Catholicis.

Secundam rationem assignat Hunnius, quia *accedebant*, inquit, *aliæ gloriationes* (Catholicorum) *insolentissimæ. Nominabant nostros*, ait Prædicans, *inferioris alicuius classis scholasticos, quos ipsi viuos capere velint, qui si allaturi sint Syllogismum & dicturi esse in Bocardo, tum se colapho eis incusso, responsuros esse in Boccallo.* Sed imprimis quidem planè profiteor, Catholicos præsetulisse semper & vero etiamnum præse ferre insignem animis fiduciam, contra quosuis Prædicantes & fidei hostes, justis & æquis conditionibus dimicandi, veritatemq; Catholicam propugnandis, at vero gloriationes illas eò turpiores fuisse dico quo insolentiores, si quidem postulata illa ex quibus gloriandi ansam accipiebant, *absurda, iniqua, inaudita* erant, vt proinde hæc nulla prorsus esse causa potuerit cur Prædicantes postulata illa tandem admitterent. Relat. Hunn. l. c.

Deinde respondeo Hunnium hoc causæ prætextu duo mendacia conjungere. Primum, nostros vsqueadeo insolenter gloriatos esse, vt Prædicantes etiam appellârint *inferioris alicuius classis scholasticos.* Etsi enim tali titulo alioquin honorari potius, quam vituperari Prædicantes videantur, facilè tamen intelligebant nostri, Hunn. mendacia.

 sibi

ſibi ab eiuſmodi verbis abſtinendum eſſe, quamdiu pacificum vtrinq; Colloquium expetebatur. Verba autem noſtrorum ex quibus calumniandi occaſionem ſumpſiſſe videtur Hunnius, ſunt iſta: Das ſich darüber zuuerwundern/ vnd zulachen / wañ ſie die Neuburgiſchen Theologi (Ecce Theologi appellantur non grammatiſtæ) ſelbs ein ſolches geſchriben haben / vnnd villeicht nicht vil mehr/ ein ſcholar auß der vnderſten Claſſen. Alterum & quidem calumnioſum mendacium eſt, quod de *colapho Prædicantibus impingendo* quicquam dixerint noſtri: Quaſi vero tam male morati ſint Catholici Theologi, vt pugnis hanc Theologicam pugnam decernendam eſſe ſtatuerint. Noſtrorum verba in ijsdem litteris, ex quibus ſuum mendacium exſculpſiſſe videtur Hunnius, ſunt hæc: Jedoch da die Neuburgiſchen / wie ſich jhr kunſt darfür laßt anſehen / ein hinckenden Syllogiſmum fur ein graden auff die ban brechten / (Inmaſſen die Widerſacher im Badaniſchen Colloquio gethan /) Was wer es vngereumbts/ wann man obiter einem ſolchen Syllogiſmo eins an ein ohr gebe/ vnd ſeinen mangel entdeckte/ wann ſie ſagten jhr Syllogiſmus wär in Bocardo vnd der Gegentheil bewiſſe / daß er wehr in Boccallo wer künd ſolches vnrecht heiſſen. Jta litteræ. Aliud eſt autem, niſallor, Syllogiſmus in Bocallo, aliud Prædicans in BOCKSTALLO. Jdem autem ſemper eſt Hunnius mendax videlicet calumniator.

Ex literis datis 4. Sept. An. 1601.

Relat. Hunn. f. A. 4

Tertiam rationem admiſſæ poſtulationis aſſignat Hunnius, *vt præſcinderentur incommoda, quæ ex denegata collocutione poterant emergere*. Jpſiſſima hæc veritas eſt. ſciebant enim Prædicantes, quanto ſuo probro recuſaturi eſſent de propoſito à noſtris themate diſputationem

tionem: itaq; tandem admittendam esse duxerunt. Hoc nimirum dudum oportebat dictum Hunni & tunc friuolis illis tuis ratiunculis, atq; etiam admixtis aliquot mendacijs supersedere poteras. Et quînam obsecro sine probro de proposito á Catholicis themate disputationem recusare poterant aduersarij, *cum id quoq; sit ex eorum numero, de quibus Apostolus Petrus responderi vult à Christianis cuilibet petenti*, 1. Pet. 3. vt ipsemet Hunnius diserte fatetur. Vnde eo magis mirum est, quòd ea postulata vocat Hunnius *absurda, iniqua, inaudita*, quæ non solum absq; probro recusari non poterant, sed quæ ipse quoq; Apostolus concedenda jubet.

Jtaq; vt omnia quæ hoc capite de occasione, & themate Colloquij dicta sunt, in vnum conferantur, hæc summa omnium est. Cum Illustrissimus Dux Palatinus Serenissimo Bauariæ Duci Colloquij postulationem insinuasset, tum Serenitas sua, pro eo quo erga eius Celsitudinem erat gratificandi studio, insinuationem eiusmodi ratam & gratam habuit: Ideoq; consultatione vtrinq; inter Theologos habita, cum absq; summo probro postulatum illud Catholicorum detrectare non possent Prædicantes, vt de ipso omnium controuersiarum fonte & origine disceptaretur, nempè de fidei & controuersiarum norma ac judice, tandem consensisse, vt à me in Relatione de hoc Colloquio explicatum est. Part. 1. cap. 2.

Caput

CAPVT TERTIVM.

JN QVO EXAMINANTVR EA, quæ de processu disputationis narrat Hunnius.

VALDE in hac re breuis & succinctus est Hunnius, & nec argumenta, nec responsiones vnius vel alterius partis ex instituto commemorat, non aliam vtiq; ob causam, nisi quia cum laude non poterat. Hinc quia de se suisq; nihil in specie, dignum comendatione, adferre poterat, hac saltem aposiopesi laudem aucupari studet: *Qualiter*, inquit, *à nobis hoc officium administratum sit, aliorum esto judicium, & testimonium nobis vndiquaq; sincerum & incorruptum, sanctè feliciterq; per Dei gratiam gesti muneris, obtentæq; victoriæ perhibebit Protocollum.* Non poteras certè, Hunni, melius, etsi vbiq; nihil aliud diceres, pariq; sinceritate à consuetis mendacijs abstineres (quanquam nec hic omnino abstines, dum de Protocolli testificatione adeò tibi blandiris) facilè inter nos lis ista componeretur. Neq; enim aliud ego opto, quàm vt de vestra muneris administratione, à quouis æquo & prudente rerum æstimatore, ex Protocollo fiat judicium: vtpote quod sine dubio Prædicantibus *testimonium vndiquaq;* (quatenus per eorum fraudes licuit) *sincerum & incorruptum* planè infeliciter gesti muneris, & amissæ victoriæ perhibebit; ita vt planè confidam eorum ruditatem, & nuditatem, indies ex eo magis patefactum iri.

Relat. Hunn. fol. A. 4.

Jn nostris autem referendis, non jam tantum ad Proto-

Protocollum lectorem ablegat, nec vsque adeo parcum narratorem, sed satis prolixum calumniatorem se præbet Hunnius. Primo ait, à nobis legem illam, *quæ clamores, strepitus, conuicia prohibebat, & jubebat, vt collatio esset placida, & inprimis nulla fieret sermonis interruptio, vel interturbatio* sæpius esse violatam. Sed perpendamus legem, & apparebit calumnia. Hunn. relat. f. A. 4

Et initiò quidem clamorē, nobis quod exprobrat Hunnius, satis quidem vanum & clamosum Prædicantem se demonstrat & probat. Palam enim est, in Catholicis Collocutoribus duobus, quibus vox natura imbecillior contigerat, maiorem potius pro tanta loci amplitudine, quam minorem vocem fuisse desideratam. Mihi vero quæ gratia Dei est, fateor vocem satis esse viuacem & sonoram, & subinde forte maiorē etiam fuisse, quam aduersarijs audire volupe fuerit; sed eam contentionem tanta loci amplitudo, auditorumq; multitudo & Prædicantium geminatus clamor, quandoq; poscere videbatur.

Strepitus nullus, quod sciam, excitatus est, nisi fortè à canibus, qui nihil mirum est, si ob Prædicantium vanos stridores subinde ringebantur.

Risum est quandoq; fateor, pro meritis Prædicantium, sed risus strepitus non est. Et hic ipse tamen malè Prædicantes habuit, qui idcirco etiam aliquando priuatim apud me ea de re conquerebantur, quod ego subinde dedita opera id eis agere viderer, vt risum alijs mouerem, sed respondi, me de hac re parum sollicitum esse, seu fleant, seu rideant alij: quod res erat, hactenus dixisse, & deinceps etiam dicturum: viderint, ne cum forte ridentur, eius rei culpam ipsi sustineant,

tam ridicula & friuola subinde argumenta proponendo. Et ob hoc ipsum quidem multo magis ringebantur Prædicantes, sed quid tum? vt Prædicantes recrearem non adueneram.

Conuitium autem in toto Colloquio nullũ à nobis prolatum est, quo cuiusquã persona iniquè læderetur. At quod *versipelles* à me audierint, queruntur, præsertim autẽ Hunnius in suis illis notationib9 ad litteras cuiusdam Catholici. Sed omnium qui disputationi præsentes fuerunt, præsertim in illa Sessione, in qua id verbum à me prolatũ est, & eorum quoq;, qui eo loco Protocollum legerant aut lecturi sunt, judicium appello, an non eũ honoris titulum abunde cõmeruerint Prędicantes.

Sess. 13.

Deinde probrum hoc personas non tangebat, sed rẽ ipsam & modũ disputandi Prædicanticũ, tam ab omni lege Colloquij alienũ; in quo vt dicere, ni fallor, licebat, Prædicantes formam non seruare, callidè tergiuersari, extra rem declamitare, effugia quærere, ita etiam versipelles in tanta rei euidentia dicere, tantũ non erat piaculum: Cum versipellem esse non sit aliud, quam vafrè tergiuersari, & in omnes se formas, & colores, Prothei seu Chamęleontis instar, mutare, vel quod idẽ est, lubrici serpentis more, in varias sese spiras contorquere, è manibus prehendentis, vt quoquo modo elabatur.

Accedit, quod nõ prius hoc acriore verbo vsus sum, quam Prædicantes impudenter Papam Antichristi titulo exornassent, eaq; horrenda calumnia non jam tantum personam quampiam Catholicorũ priuatam, sed ipsum totius Ecclesiæ caput, omnemq; Catholicorũ cętum onerassent. &c. Jtaq; etiamsi conuicium aliquod à nobis audijssent Prædicantes, nõ esset tamen, cur id merito

rito nobis vitio verteretur, cum fides illis seruanda nequaquam sit, qui prius eam confregerunt, & frustra legis auxilium inuocet, qui cōmittit in legem, juxta Vulgatam illam juris regulam. Sed nimirum Prædicantibus integrum esse debebat, calumniari quos vellent, & in ipsam quoq; Ecclesiæ vniuersitatē, totq; in ea Serenissimos, & Illustrissimos Principes, quin & in ipsum Romani imperij caput & moderatorem, petulantem linguam stringere; at vero ipsos duriore aliquo verbo, cuius probationē res ipsa præsens exhibebat, perstringere, nequaquam licitum, sed inexpiabile nefas censendum erat; quod tum demum, vt nobis persuadeamus, impetrabunt, quando fas nefas esse persuaserint. Reg. 75. in 6.

Ad hæc quoties impudenter clamitabant Prædicantes, *nos constrictos teneri, cū heri respondere nihil potuerimus conatos esse hodie, nihil esse responsum*, nec quicquā *in omnē sempiternitatē* responderi posse &c. A quib9 thrasonicis jactationibus, præsertim tā inanib9, abstinendū vtiq; erat Prædicantibus, si tam honorifice à nobis tractari cupiebāt.

Demum si juxta Hunnianum pronunciatum *oportebat* etiam in Colloquio *scapham appellare scapham, ligonem ligonem*, certè non tam in eo peccaui, quod versipelles, versipelles dixi; quàm quod insuper hæreticos hæreticos, thrasones thrasones, mēdaces mēdaces, calumniatores calumniatores nō dixi. *Neq;* enim id *in nostris Ecclesiis fuisset injuria*, vt cum Hunnio, suam ea ratione calūniam excusante, loquar. Vides ergo, mi Hunni, quàm fuerim modestior, quam esse me ipse volueras.

Quod ad interpellationes, de quibus præcipue queritur Prædicans, attinet, fateor Prædicantes, cum extra chorum saltitarent, nec quicquam ad rem aut in

forma dicerent sui officij juxta præscripta legum breuiter fuisse commonitos. Sed in eo tam parum contra leges peccatum est, quam in suis illi tergiuersationibus parum leges obseruarunt, quæ, vt ipsamet verba habent, non quaslibet interlocutiones, sed *intempestiuas* solum *interpellationes, quibus necessaria rerum explicatio interrumpitur* prohibebant. Quam legis clausulam Hunnius & Theologi Neuburgenses in sua præfatione seu postfatione Protocolli callidè dissimularunt. Has vero intempestiuas non fuisse, quibus Prædicantes ad formam dialecticam & propositum scopum adigebantur, sed potius ad veritatis inquisitionem & necessariam rerum explicationem summè necessarias, ex Protocollo lector intelliget.

Deinde si maximè verba illa in lege adiecta non fuissent, tamen adhuc interpellationes illas, quæ ad veritatis indagationem, & *propositam quæstionem illustrandam* faciebant, & ipsarum legum obseruationem adigebant, prohibitas fuisse, existimare nequaquam possumus, cum prima atq; præcipua lege, ad quam sine dubio aliæ omnes, vtpote minus principales, explicandæ erant, constitutum fuerit, vt *veritatis inquisitio & propositæ quæstionis illustratio, collocutoribus suprema lex & vnicus in disputando scopus esset.* Spectabat autem maxime ad veritatis inquisitionem, & propositæ quæstionis illustrationem, vt in forma dialectica, ad rem, ad propositũ responderetur, & *ab ociosis ac inutilibus declamationibus*, quæ eadem lege septima prohibitæ erant, abstineretur, vt identidẽ repetitis vocibus à nobis fuit inculcatum.

Hunn. mendacia.

Jtaq; calumniatur Hunnius, cum Catholicos Collocutores de legum violatione suggillat, *qui vt ad earum*

præ-

præscriptum sese comparaturos sunt polliciti, ita etiam re ipsa abundè præstiterunt. Neq; sanè de alijs duobus Dominis Collocutoribus Catholicæ partis magnopere conqueritur Hunnius, quos ait fuisse *modestiores*, sed in me miser totus excandescit, & velut impotens sui omnia furoris & loquacis impudentiæ spicula contorquet. *Adamus Tannerus autem*, inquit Prædicans, *tam proteruus fuit & enormiter impudens, ita suis clamoribus stentoreis, histrionicis gesticulationibus, scurrilibus, irrisionibus virulẽtis sarcasmis, sannis; creberrimis ac turbulentissimis interpellationibus, nonnunquam etiam conuicijs omnia pudoris modestiæq; claustra perrupit, vt ipsius immanis impudentia nec verbis describi satis à quoquã, nec ipsemet histrio in sua actione, omniq; gestu corporis vel ab Apelle depingi queat.* Et nonne calumniarum hoc satis? sed nondũ satis Hunnio, qui calumniando tam parum satiari potest, quam pelagus aquis. *In hoc*, inquit Prædicans, *cernere licuit disciplinæ Iesuiticæ formam & profligati pudoris exemplar, ad magnæ illius Babilonicæ meretricis frontem exquisitissime comparatum.* Jta Hunnius, qui si Hunnius hoc est mendax calumniator non esset, stomachari forsitan ob tantã eius impudentiam possem, quando tam immania calumniarum plaustra in me vnum exonerat, & velut densissimos mendaciorum nimbos depluit. Sed jam quia Hunnij conuitia sunt, quasi efferati canis latratus, & insanientis bestiæ murmura nihili pendo; imo vero Hunnij conuicia mea esse encomia existimo, multò sinceriora, quàm amicorum laudes.

Hunn. Relat. f. E. 2.

Hunn. mend. & calum.

Quamobrem propositum mihi nequaquam est, Hunni, tecum in hoc calumniandi stadio contendere, cui palmam in hac re facilè concedo: quod etsi non facerem, tuo tamen jure primas tibi vendicares, omnium

um judicio, qui vel disputationi præsentes fuere, vel Protocollũ lecturi sunt. Hi testabuntur, te jam vel maxime *omnia pudoris claustra perrupisse.* Aut nomina mihi vel ex tuis aliquẽ, tibi dissimilem, qui tuæ huic tam impudenti calumniandi libidini subscribat. Certè in hoc Prædicante *cernere licet disciplinæ* Pseudoeuangelicæ *formã & profligati pudoris exemplar, ad magnæ illius Babylonicæ meretricis*, aut si mauis Saxonicæ bestiæ (quæ cornibus suis etiã in reges & imperatores impudentissimè incurrere lusũ duxit) frontem exquisitissimè comparatum, vt tua tantum postrema tibi verba, quibus me solum non læsisti reponam. Cætera tibi condono, de quibus olim, nõ dũbito, si quando furoris tui procella resederit, & in pacatiorẽ statũ sese mens tua receperit, ipsemet erubesces.

Cur enim, quæso te, Huñi, vsq; adeo omnia pudoris, modestięq; claustra perruperim? an quod in studio propugnandæ veritatis nunquam tibi cessi? sed vt falsitati cederem, non accessi. An quod veritatis vocem fortius quandoq; insonui? sed vtinam vel sic audijsses. An quod te aliquando *contra conscientiam* loqui dixerim? sed verè & è conscientia dixi, tuamet conscientia testante, si verum dicere velit, ijsq; contestantibus qui id à me dictũ audierunt in Colloquio, vel è Protocollo suis locis quãdoq; legẽt. An quod versipelles à me audijstis? sed vt allatas supra responsiones taceã, *oportebat*, teipso pronunciante, *Scapham appellare Scapham, & in nostra Ecclesia id nõ est injuria.* An quod te velut imperitum dialecticum ad dominum Schram Symmistam tuum, qui dialecticã scripsit, nonnunquam amandaui? sed id charitatis opus fuit, ignoranti magistrum ostendere. An quod nonnunquã interpellaui loquentẽ vt te ad metas reuocarẽ? sed hoc officij fuit, vt supra ostendi. An quod *ad formam, ad formã,*

totie

toties inclamaui? sed ne sic quidem audijsti. An quod stulto non nunquã *juxta stultitiam suam* respondi? sed hoc juxta Sapientis monita facere oportebat, ne tibi *sapiens videreris.* Cui quidẽ, sat scio, nihil fuisset optatius, quam vt thrasonicas illas vestras voces, quibus subinde insolẽtissimè proclamabatis, *nihil à nobis esse responsum, nec quicquam in æternum responderi posse, nos constrictos teneri &c.* grato animo acceptassemus, aut saltẽ muta lingua transilissemus. Sed melius instructi, & majore animo ad disputãdum accessimus, quam vt eiusmodi inanissimis clamoribus silentiũ nobis imponi sineremus. Quod si hæc nõ sunt, Hunni, quæ me vllius immodestiæ reũ conuincãt certè nulla sunt alia, ex quibus tuas de me calumnias probes, etiamsi vel totũ Protocollum legas & perlegas. Prouerb. 26.

Nec est cur in hoc contra Protocollũ excipias, quasi *interpellationes & clamores tam fuerint intempestiui, tantaq; hinc orta cõfusio, vt Notarij scribẽdo, propter tumultuantẽ Iesuitam, nec progredi scribendo, nec quæ dicerentur aut gererẽtur in tantis turbis annotare possent*, vt circa finẽ tuæ Relationis calumniaris. Tuam enim fidem, quæ Protocolli fide nõ nititur, non aliam existimo, quam Hunnianam, hoc est fallacem ac nullam. Nec me latet in reuisione Protocolli, plura à vobis in hoc genere, quæ de nostra interpellatione testarentur, fuisse addita & assuta, quę nec à Notarijs notata fuerant, nec ante reuisionem in Protocollo extabant. fol. G. 4.

Sed bene est, quod Prædicans ipse suismet verbis nõ obscurũ modestiæ testimoniũ vel inuitus mihi perhibet. Ait enim, *Doctorẽ Albertum Hungerum, vt & Doctorẽ Iacobũ Gretserum* fuisse *modestiores.* Quod si ita est, tunc me quoq; fuisse modestũ necesse est, modestior enim nemo dicitur, nisi respectu alicuius modesti, cum *magis & minus talia* sint semper in *eodẽ genere.* Sed quid Prędicantis

laudes

laudes confector? Cum ea demum *vera laus ſit, laudari à laudato viro* qualis ſanè Prædicans iſte non eſt.

Vide potius quæſo te, lector, quam firmo argumento Prædicans Tanneri impudentiam demonſtret. *Nam adeò*, inquit, *deſueuerat* (Tannerus) *erubeſcere, vt cum* Hunn. Relat. f. B. 3. *in Seſſione duodecima, ad aliquot argumenta noſtra ne tantillum quidem reſpondere poſſet, præter hæc caſſa & inania verba (nego conſequentiam) atq; ego (*Hunnius*) id à notarijs in Protocollo conſignari peterem, quod non poſſet reſpondere Aduerſarius: Ipſe ſurgens idipſum in Protocollo conſignari petiuerit, & quidem maiuſculis aiebat. Cumq; ob id, quod confuſus, propriam ſuam turpitudinem peteret in Protocollo, maiuſculis notari meritiſſimè derideretur, ipſe qua eſt fronte Ieſuitica effuſè ſimul ex ſacco, in quem erat reconditus, ridere cæpit.* Hæc ſcilicet *eſt immanis illa Tanneri impudentia*, hoc indigniſſimum illud facinus, & ſpectaculum, luctu, ſeu mauis, riſu digniſſimum. Quinq; vel ſex conſequentias ex ſcriptura produxerat Hunnius: Tannerus omnes negauit, infelix Hunnius nullam probauit. Tannerus inſuper riſit. Et Hunnius non excandeſcat? Res planè in paucis audita, & maiuſculis vtiq; litteris ad omnem poſteritatis memoriam tranſmittenda.

Hunn. mend. Taceo interim duas illas Hunnianas veritates, quibus ſuam hanc probationem exornauit Hunnius. Prima, quod ego maiuſculis litteris conſignari petiuerim, me non poſſe reſpondere, cum non meam, ſed Hunnij turpitudinem, quòd ſcilicet conſequentias ſuas nec probauerit, nec probare conatus fuerit, maiuſculis notari petiuerim. Ita enim habent verba mea in Seſſione vndecima, ex qua hæc deprompta ſunt: *Hoc quoq; & quidem maiuſculis litteris viciſſim diligenter notari*

peto.

peto, quod sex demonstrationes D. Hunnius adduxerit, & sanè nullam earum probauerit. Notetur bene hoc. Ecce primum mendacium.

Alterum, quod ob eam quoq; causam derisus fuerim, cum non ego, vt norunt omnes, qui Colloquio præsentes fuerunt, sed insignis illa Hunnij ignominia, qua tam rotundè negatis consequentijs, ad turpe silentium adactus fuerat, & simul etiam stulta eiusdem impudentia, qua asserebat *nihil fuisse responsum, nec in æternum quicquam responderi posse,* palàm à me, & toto quodammodo auditorio meritissimè derisa fuerit, quasi vero negare consequentias, sit, *nihil respondere, nec respondere quicquam in æternum posse.* Sed hoc scilicet Prædicantis artificium est, vt cum negare non possit maximum in vniuersa tunc auditorum corona risum excitatum fuisse, eum in me deriuare nunc studeat, licet tam ipse, quam vniuersi auditores scirent, non me, sed se derisum esse.

Jllud vero, me *in saccum,* vt ait, *fuisse reconditum,* quia puerile mendacium est, Hunnio magnopere non exprobro, mentitum tamen esse, & non me, sed Hunniũ in eiusmodi conflictu ad turpe silentiũ fuisse adactum, ex dictis atq; Protocollo liquet. Atq; hoc primum est, in quo Catholicos dum Colloquij processum memorat, accusat Hunnius. Hunn. mend.

Alterum, quod circa Colloquii processum alio quidem loco memorat Hunnius, sed quia Tannerum concernit, in gratiam Hunnij hoc loco reponendum est, Et quid illud? *Quod ad opinionem atq; famam reconditæ & plusquam transmarinæ eruditionis Iesuitarum admirabiliter amplificandam pertinet,* inquit Prædicans. Heu nouam Hunn. Relat. f. D. 2

Prædicantis erga Iesuitas beneuolentiam, quod existimationem illam Iesuitarũ tam studiosè amplificatam cupit. Materiam autẽ & occasionem propagandæ eiusmodi existimationis sumit à Tannero, quem *Baccalaureum formatum* appellat, forte quia nimis formatus erat informi Prædicanti. Sed quid in hoc formato Baccalaureo tam exquisitæ eruditionis, quod ad existimationẽ illam Iesuitarum tantopere amplificandam faciat? Hoc scilicet, si Hunnio credimus, Tannerum *græcæ linguæ ruditas in tam splendido consessu litteratissimorum hominum planè reddidit deformem, ridendumq́; propinauit omnibus*. Miser Tañerus, qui cum adolescens olim suis coæqualibus æmulis ob linguæ græcæ peritiam, quam præseferre videbatur, literaria præmia non semel abstulerit, jam ob græcæ linguæ ruditatem tantum probrum ex Colloquio retulerit. Sed hoc quicquid sit, certè palam testatur Hunnius, Tannerum illum linguæ græcæ penitus imperitum, in Colloquio quarta etiam vice licet à peritioribus linguæ grecæ identidem *insusurrando*, de errore monitum, pro διδάσκετε, dixisse διδάσκατε.

Sed fallorne Hunni, an mei te siue amor, siue odium cæcauit & delusit, vt cum ad mei seu laudem, seu vituperium, omnis tibi materia deesset, tuipse tibi vel crasso licet artificio fingeres? Certè quidem hac re nimis manifestè tuum in me maledicentiæ studium prodis, cum tam friuola tanto studio consectaris, satius fuisset aliud quoddam probrũ confingere, quam hoc licet fictum non esset, tantis verborum ampullis exaggerare, sed & hoc tamen quantulumcunq́; etiam Tanneri esset præconium, ni Hunnij esset mendacium. Iam vero quando me nec à quoquam ea de re in Colloquio

loquio vnquam monitum scio, nec id in hanc vsq; horam, ab alio, quàm Hunnio mihi obiectum, aut in sermonem vel minimo verbo adductum audiui, vnde vel minima suspicio eiusmodi erroris suboriri mihi potuisset, quod optima fide testatum facere queam, dubitare equidem non possum, quin id quoq; in Hunnianis veritatibus sit numerandum. Certe P. Iacobus Gretserus, qui mihi proximus assedit, testatur nihil horum à se in Colloquio auditum, siue quod vitiosè, vt tu fingis, eam vocem pronuntiauerim, siue quod de vitio monitus fuerim. Deinde res ipsa per se nullam fidem meretur. Quid enim si ad similitudinem alterius tunc productæ vocis μαθητεύσατε dixerim διδάξατε vt tempora modiq; correspondeant? Quid si διδάσκετε quidem, sed tu, vt alioqui iniquis auribus hauriebas, quæ à nobis dicebantur, & per se alioquin vix notabilis in celeri pronunciatione vtriusq; vocis differentia est, audire tibi visus fueris διδάσκετε. Hunn. mend.

In quo tam pronum est errare, etiam beneuolis auribus, vt is ipse Amanuensis, cui hæc tractim, & quantum fieri poterat, explicate ad calamum dictabam, vtroq; loco, quo prior vox scribēda erat, vitiosè scripserit posteriorē, licet eum disertè prius de re ipsa monuissem, & tantum nō literas singulas in numerato ei tradidissem.

Et certè si distincta voce errorem hunc toties insonuissem, non dubito, quin pro tua erga me singulari beneuolentia, sermonem meum protinus *abrupsisses*, vel certè *interrupsisses*, vt tecum latinè loquar, quandoquidem, vt ais, græcè nescio. Phrasis Hunn. Relat. fol. E. 4. Col. 1.

Interim scias, Hunni, me quidem valde peritum linguæ græcę non esse, & tam in hac, quam in omni alia litteratura, alijs plurimis nostræ Societatis, latinè græceq; peritissimis, facilè cedere, multisq; partibus inferiorem esse, ac proindè opinionem ac famam *reconditæ illius, & plusquam transmarinæ eruditionis Iesuitarum*, vt tu loqueris, à me neutiquam pendere, vt inepte videris existimare; attamen adhuc puerum (Deo gratia) tantum in græcarum litterarum studio profecisse, vt tuam etiam in ea re, tam excellentem scilicet, eruditionem nequaquam pertimescam, quantumuis de adagijs quibusdam græcis, ex Roderodamo, alijsq; hinc inde emēdicatis, magnopere tibi blandiri videaris.

Demum ait Hunnius Catholicos *fuisse in volumine Bibliorum plane hospites, & raros in allegandis scripturis, & in iis quæ à nobis*, inquit Prædicans, *afferebantur, tractandis non modo frigidos & ieiunos, sed ad prodigium vsq; absurdos.* Verum Catholicos Collocutores in volumine Bibliorum non fuisse hospites, vt nugatur Prædicans, facile ex eo patescit, quòd Aduersariorum nugas & φλυαρίας, futilesq; argumentationes, ex scripturis pueriliter extructas satis copiose solideq; (Deo gratia) confutârunt. Rariores autem nos fuisse in allegandis scripturis, sed Prædicantes ineptiores, non negauero. Placuit enim omnia in *mensura, pondere, & numero* agere, nec libuit ineptire, vt Prædicantibus, qui etsi sine modo sine mensura, sine ordine, extra propositum, modo scripturas effutirent, & in sua charta descriptas recitarent, satis fecisse suo muneri sibi videbantur, de qua re fusius actū est, à me in Relatione, & à P. Jacobo Gretsero in responso ad theses Hunnianas.

Relat. Part. 1. cap. 11 & part. 2. cap. 10. Resp. Par. 1. cap. 4.

Addis

Addit Prædicans, *præter illa vulgaria, quibus vti consueuerunt ad asserendum primatum idoli sui Romani (velut Deuteronomij 17. Qui judicio sacerdotis non steterit, morte moriatur Mal. 2. Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, Matthæi 23. Super Cathedram Mosis sedent scribæ & Pharisæi &c. Et deniq; Matthæi 18. Dic Ecclesiæ) vix quicquam aliud proferebatur ab eis, nisi quando volebant ostendere, quomodo testimonia scripturæ, quæ ab orthodoxis contra Arianos & Anabaptistas afferuntur, ab ijsdem deludi queant, vt infra dicetur*, Jta Hunnius, quod totidem ferè verbis asserunt quoq; Prædicantes Neuburgenses in illa sui Protocolli appendice. Relat. Hunn. f. B. ii

Sed hoc esse mendacium, ex Protocollo luculenter demonstrari potest. Nam vt taceam illud testimonium, quod ex prima Thessal. 2. à nobis allatum traditur ad comprobandas traditiones, vbi illud ex Jsaia adductum, *Pro viuis ad mortuos*? Vbi illud, *Omnem causam quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, &c. Vbicunq; quæstio est de lege, de mandato, de ceremonijs, de justificationibus, ostendite eis vt non peccent in Domino, & ne veniat jra super vos, & sup fratres vestros. Sic enim agentes non peccabitis.* Vbi illud ex sancto Paulo, *Ecclesia est columna & firmamentum veritatis?* Vbi illud Christi, *Hæc oportuit facere & illa non omittere?* Vbi duo illa loca Sancti Pauli, ex quibus contra Pseudoprophetam Hunnium probatum est, etiam Prophetas in nouo Testamento fuisse? Vbi illud ex libris Regum de Propheta à leone perempto, idq; propter legem traditam, non scriptam? Vbi illud Jeremiæ Prophetæ de Rechabitis, qui timore etiam pænæ diuinitus infligendæ *nolebant bibere vinum*, contra mandatum patris sui traditum, non scriptum? Vbi illud Christi, *Qui vos audit me audit?* Vbi illud concilij Apostolici, *Visum est Spiritui sancto & nobis.*

Hunn. mend. — 2. Paralip. 19. — 1. Tim. 3. — Matth. 23. — 1. Cor. 12. & Ephes. 4. — 3. Regum 13. — Ieremiæ 35. — Lucæ 10. — Actor. 15.

2. Reg. 21. *nobis.* Vbi illud ex libris Regum, quòd Dauid cum alijs laicis, præter, imo etiam primo intuitu quodammodo contra mandatum ſcriptum verbi DEI *panes propoſitionis comedit?* Vbi plura alia quæ ſparſim & incidenter ſæpe à nobis prolata, nec à Prædicante relata ſunt? Certe vel ex his ſatis patet Hunnium eſſe mentitum, ac Prædicantes valde lippis oculis ſcripturas à Catholicis allegatas lectitaſſe, auribusq; planè iniquis excepiſſe.

Jllud verò libenter fateor, quod ſubiungit Hunnius, & velut magnum probrum nobis exprobrat, *nos aliqua etiam tritiſſima teſtimonia ſcripturæ (* prout quidem ab Aduerſarijs allegata fuerant *) vbi legerentur ignoraſſe.* Nam & in hunc vſq; diem necdum ſcire poſſumus, vbi *Petrus dicat, quouis tempore reddendam eſſe rationem fidei,* prout Hunnius textum citauerat. Item vbinam, & quando Chriſtus dixerit: *Eſt qui judicabit vos Moſes,* prout Hailbrunnerus ſcripturâ citauit, &c. Quod ſi ea forte loca Hunnius interim inuenit, poterit me proxima occaſione certiorem facere.

Hunn. mendacia: Jam autem *Ieſuitas, dum animaduerterent, argumenta ſua jugulatum iri ſcripturæ teſtimonijs, vix audito nomine ſcripturæ, protinus manibus pedibusq; reluctatos fuiſſe:* Item, *adeo nauci pendi apud nos ſacræ ſcripturæ authoritatem, vt ex ea reſponſiones confirmare, ſit nobis abſq; forma reſpondere*, Hunnianæ ſunt veritates, hoc eſt calumnioſa mendacia. Dicere debuiſſet Prædicans, quando nos Prædicantes reſpondere ad Catholicorum argumenta refugiebamus, & effugia vana ineptiſſimis ſcripturarum allegationibus conquirebamus, idq; eo ipſo tempore, quo juxta pa-

cta

cta, & conuenta respondendum nobis, non argumentandum erat, tunc nos à Catholicis jure ac merito ob neglectam formam taxatos, non minus, quàm à Christo, diabolus scripturas allegans. De qua re plura alibi à me dicta sunt. Sed jam quid de forma narret Hunnius, videamus. Relat. part. 3, cap. 2, & 3. &c.

CAPVT QVARTVM.

QVANTA VANITATE jactitent Prædicantes, se in argumentando formam dialecticam seruasse.

CIRCA formam dialecticam malè imprimis sibi conscius Hunnius, vtpote de eius violatione toties à nobis palam accusatus, mirũ est, quam cæcis obtutibus incespitet, & in quas spiras se lubricus serpens contorqueat, vt ne accusari à nobis justè videatur. *Et initio quidem tenendum*, ait Prædicans, *nos nec latinum, nec germanicum Colloquium reformidare, fuisse tamen in ea plane sententia, peti à Duce Bauaria Colloquium vernacula lingua celebrandum.* Jllud, quia ex decreto Prædicantis ita *tenẽdum* est, *teneo*, licet non vt articulum fidei, sed vt rem ipso experimento huius disputationis exploratam, nimirum Prædicantes *nec latinum, nec germanicum Colloquium*, conuiuiale videlicet aliquod, in quo poculis ad formam concertetur, interpositis

quan-

quandoq; lepidis atq; ex Cynica Philosophia depromptis dicterijs, vt Luthero consuetum fuerat olim, reformidare: at verò interim Colloquium Theologicũ, dialecticum, scholasticum, cane peius & angue odisse, vt ex huius Colloquij actis abundè patet. Tam parum autem Serenissimus Bauariæ Dux Colloquium germanicum postulauit, quàm parum ipsum Colloquium prior ipse postulauit, licet Prædicantes nõ tantum germanicè habendum putarent, sed etiam peterent, Catholici vero latinè potius habendũ dicerent, eo quod dialectica forma in germanica lingua seruari cõmodè non posset. Jtaq; calumnia est, quod ait Prædicans, Catholicos ideo germanicum Colloquiũ subterfugisse, *tũ ne dogmatum suorum absurditas alijs quoq; latinæ linguæ alias ignaris innotesceret, tum vt sub latinis terminis suam exercere possent sophisticam.* Nimirum Catholici judicium indoctorum & imperitæ plebis reformidabãt, doctorum autem & peritorũ ambiebant, facilius scilicet doctis, quam indoctis suas absurditates probaturi. O absurdum Calumniatorem Hunnium, sed redeamus ad formam, à qua ineptè digressus fuerat Prædicans.

Duo autem vniuersim circa formam dialecticam pronunciat, primum se formam dialecticam veterem, veram, genuinam, legitimam, acceptasse & tam in argumentando quam respondendo seruasse. Alterum, Iesuiticam autem formam nec acceptasse, nec seruasse, nec vnquam seruaturum, nec jure seruandam esse, nec passurum, vt ad eam adstringatur. Quæ quidem pronunciata nunc ordine examinabimus. Jtaq; se dialecticam formam in argumentando seruasse, hac vnica quidem, sed firma scilicet ratione probat Hunnius.

Quia

Quia argumenta nostra, inquit, *proposuimus in Syllogisticam redactà formam.* Nec plura addit. Quis ergo non credat? fol. B. 2. quis non ilico acquiescat? An ergò ausit quispiam dubitare, Hunnio nihil dubitante, qui tunc solum dubitat, quando nemo alius dubitat; tunc sibi certus esse videtur, quando alij vel maximè dubitant. Et possem quidem, Hunni, tuæ eiusmodi nudæ assertioni nudam etiam tantum negationem opponere, tantum proculdubio, aut etiam plus momenti habituram apud prudentes rerum æstimatores, quantum illa tua affirmatio, quam quisq; vel ex Protocollo intelligere potest falsam esse; sed quia semel tuis vestigijs insistere occepimus, prosequendum est cœptum iter.

Et primum quidem nosse debet Hunnius, non omnem eum, qui argumenta sua in Syllogisticam redacta formam proponit, dialecticam formam in argumentando seruare. Quid enim, si interim suo muneri non insistat, & quando solutiones ab Aduersario datas refutare non potest, mox contra præscriptas conditiones in respodentẽ se transformet, & cupiat ab Aduersario probari, quod ipse refellere quidem non potest, sed debet? Quid si probationes ad præfixum scopum non colliment? Quid si quæstionis statum Aduersarius peruertat aut confundat? Quid si anxie probet, quod nemo negârat? quid si multitudine & confusione obiectionum respondentem obruat, nec ei iustum respondendi tempus & copiam concedat? An talis formam legitimam in argumentando seruasse, vllius æqui iudicis sententia censeri potest? An vsqueadeo informis es, Hunni, vt ad formam legitimam argumentandi tibi spectare non videatur, quid & quo ordi-

ne quidq; probetur, dummodo probationes in forma Syllogiſtica proferantur. Itaq; ſi tibi in Colloquio probaſſem, Deum creaſſe cælum & terram, eſſe carnis reſurrectionem, eſſe vitam æternam, eſſe infernum, qui ab hæreticis meritas pœnas aliquando exacturus ſit, an formam dialecticam in argumentando ſeruaſſe tibi videri poſſem? Etſiamſi ergo argumenta tua informam Syllogiſticam redacta propoſuiſſes, non tamen ideo ſtatim formam dialecticam in argumentando ſeruaſſe cenſeri poſſes, quando cætera, quæ communi omniū ſenſu & conſenſu, ad dialecticam formam recte argumentandi ſpectant, tam turpiter neglexiſti, vt neglexiſſe te ex Protocollo liquet, & alibi à me abunde comprobatum eſt. Sed eſto, hac vnica re officium argumentantis circumſcribatur, in eoq; forma dialectica vnicè conſiſtat, vt argumenta omnia & ſingula in Syllogiſticam redacta formam proponantur, neq; ſic tamen de violatione eius formæ te ſatis purgare poſſes. Quotnam enim, quæſo te, argumenta in Syllogiſtica forma propoſuiſtis? Ad hoc nihil reſpondet Hunnius, & prudenter quidem, ſatis aduertens, ſi reſponderet, ſuo ſe reſponſo damnandum.

Relat. part. 3. cap. 1. § 3.

Sed quod dicere auſus non eſt Hunnius, id ſine rubore, *ſuo, & ſuorum Collegarum nomine*, palā faciunt Prædicantes Neuburgenſes, in illa ſui Protocolli appendice, cum aiunt: *Argumenta noſtra omnia & ſingula, ex præſcripto legis quartæ, Syllogiſmo, vel alia in logicis probata argumentandi forma propoſuimus. &c. Nec dubitamus, ſi quis numerare vellet, deprehenſum iri, plures à nobis Syllogiſmos fuiſſe propoſitos, ſæpius in forma fuiſſe reſponſum, quam ab Aduerſarijs factum ſit.* Ecce Hunnii ita dictum à te, ſed & factum oportebat, ſi aliqua

Append. Neuburg.

vera

verosimili ratione te tuosq; à violatæ in argumentando formæ dialecticæ probro tueri voluisses.

Verum hoc Theologorum Neuburgensium dictum tam crassum & deforme mendacium est, vt cum vnicuiq; qui vel lippientibus oculis Protocollum inspecturus sit, manifestissimum sit, nulla egeat refutatione. Imprimis vero percurratur Sessio sexta, septima, & octaua, in quibus Aduersarij varia ex scripturis noui Testamenti contexebant argumenta, & numerentur Syllogismi in quos probationes suas redegerunt Prædicantes. Et si vsqueadeo argumenta omnia & singula in formam Syllogisticam redacta sunt á Prædicantibus, cur Hunnius in Sessione octaua iussus à me conficere Syllogismum, ex obiecto scripturæ loco, *disertissimè professus est, nolle se mecum amplius disputare, nisi ratio illa sophistica*, vt aiebat, *coerceatur.* Cur Hunnius in sua Relatione Doctorem Pistorium virum clarissimum, vocat *absurdissimum disputatorem*, quod in Colloquio Badensi similiter peteret, argumentum quoddam ex scriptura petitum Syllogismo concludi.

Sed vt vnum tamen vel alterum exemplum eiusmodi argumentationis syllogisticæ exhibeamus, ecce quàm præclarè & in forma Syllogistica probet Hunnius negatam illam propositionem, *quicquid Prophetæ & Apostoli docuerunt & prædicauerunt, id scriptis traditum est. Confirmo*, inquit Hunnius, *per collationem locorum Apostolicorum. Testatur enim Paulus & explicat, quid sibi velit per fundamentum Prophetarum & Apostolorum. 2. Timoth. 3. sciens quod à puero sacras litteras nosti, quæ te possunt erudire ad salutem, per fidem in Christo IESV; omnis enim doctrina diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad*

arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit Dei homo, ad omne opus instructus. Hoc loco Paulus priore quidem membro commendat perfectionem scripturæ Propheticæ quod ex illa Timotheus sufficienter erudiri potuerit ad salutem. In posteriori membro, cum ait, omnis scriptura &c. Loquitur de integro complexu & systemate scripturæ Propheticæ pariter & Apostolicæ, deq; illa prædicat, quod possit hominem ad omne opus bonum instruere, & perfectum reddere ⁀. Ecce pulcherrimum exemplar Syllogismi Prædicantici, qui an sit in Bocardo, an in Boccallo, nemo facile dixerit, nec vel Oedipus diuinauerit, quęnam in eo sint pręmissæ, quę cõclusio. Sed fortasse immemor legis, ita deformiter declamitabat Prædicans. Verum nec monitus resipuit, jussus enim à me *facere Syllogismum*, ecce quàm pulchrè fecerit. Ita enim habent verba Protocolli. *D. Hunnius legit locum denuò, à puero sacras litteras &c. Hæ sunt scripturæ Propheticæ. Nam tempore infantiæ Timothei non extabant scripturæ Apostolicæ. Omnis scriptura &c. Hic quoq; prorsus nulla fit mentio vllius non scriptæ traditionis, sed solius scripturæ sacræ Prophetarum & Apostolorum, cui hic vltimus finis assignatur, quod perfectum hominem facit. Perfectio verò & æterna salus, est effectus perfectus dependens à perfecta causa, & idcirco non opus est ad perfectionem hominis, vel ad æternam nostram salutem traditionibus non scriptis.* Miraberis, lector, vbi sit Syllogismus? Sed paululũ exspecta, jam sequitur. *Sic igitur concludo*, inquit Hũnius; *Perfectus effectus dependet à perfecta causa, salus & perfectio hominis sunt effectus perfectus, ergo dependent à perfecta causa.*

Sess. 8.

An non hic rotundus est Syllogismus, quantumuis non sine præuia declamitatione, quæ Prædicanticæ facundiæ condonanda est. Imo potius an non hoc est extra formam dialecticam Syllogismos struere, & aerē

verbe-

verberare? probandum erat Hunnio, *quicquid Propheta & Apostoli docuerunt & prædicauerunt, id scriptis traditum esse,* & ipse sui muneris oblitus, probat salutem & perfectionem dependere à perfecta causa, quod nemini negare in mentem venerat. Habes igitur in hoc exemplo apertam vtriusq; demonstrationem, & Prædicantes non omnia & singula sua argumenta Syllogismo, vel alia in Logicis probata argumentandi forma proposuisse, & si maximè proposuissent, non ideo tamen à violatæ in argumētando formæ dialecticæ probro immunes esse, quandoquidē tam à proposito aliena suis Syllogismis concludebant. Ne quis verò existimare possit, Prędicantes circa finem primum earum sessionum, quæ ipsis ad argumentandum concessę erant, in deformem eiusmodi argumentandi rationem incidisse, operæ pretium fuerit, ex prioribus quoq; sessionibus, aliquod eius deformitatis exemplnm adducere. Igitur in prima statim sessione, cum primi argumenti à Prædicantibus propositi, minor propositio negata fuisset, quòd videlicet *solum verbum scriptum, nullam omnino additionem, nec detractionem patiatur,* Videamus quàm pulchrè eam Syllogismo, vel alia in Logicis probata argumentandi forma probauerint. Sic ergo Iacobus Hailbronner infit, in forma mimirum Syllogistica. *Probatur minor, primo ex mandatis & Testimonijs sacræ scripturæ, in quibus à Deo ipso additio & detractio, in verbo suo, & eo quidem scripto seuerissimè prohibetur. Deut. 4. Deut. 5. Deut. 12. Prouerb. 30. Ezech. 20. Hæc præcepta de nullo alio, quàm scripto verbo explicantur. Exod. 24. Quod enim Deus ore præcepit, id ex eius mandato etiam scriptum est, & eo tempore duntaxat ad scriptū verbum alligatus fuit populus Israeliticus. Testimonia de verbo Dei scripto*

Exod.24.eodem Cap.5.versu 7. Exod.34. Deut.31. Deut.27. Galat. 3. Deut.17. Ios. 1.3. Regum 2. Eandem normam vniuerso Israëli, judicibus, & in solennibus Comitijs commendat Ios.23.3. Regum 2. Dauid scriptum verbum Salomoni Testamento mandauit. 4. Regum 17. illud mandatum Domini repetitur, & de verbo scripto explicatur. Ex illis allegatis luce meridiana clarius elucescit, omnia illa dicta, de nullo alio, quam de scripto verbo esse intelligenda, neq; aliud fuisse verbũ scriptũ, quã voce prædicatũ. Quod enim Deus ore tenus populo mandauit id omne scriptũ est, sequitur ergo quod verbũ scriptũ merito debeat esse norma. Ita Iacobus Hailbruñer in forma.

An non vero hæc egregia argumentatio in forma est? sed fateor legisse me & relegisse omnes in dialectica probatos argumentandi modos, sed de hoc nihil vnquam legisse. Cupio igitur ab vniuerso venerabili Prędicantium cætu, vt me ignarum doceant, in quanam figura & modo sit hic Syllogismus, aut si fortè Syllogismus non est, quisnam alius sit probatus argumentandi modus? Video quidem in fine aliquod Enthymema, sed in quo primo desidero, quod in conclusione minimè inferatur quod negatum est, cum nulli Catholicorum vnquam in mentem venerit negare, scriptum verbum Dei *merito esse debere normam*, cum omnes Catholici solummodo negent, esse *normam vnicam & solam*.

Deinde quorsum tantus ille Testimoniorum cumulus, qui præcessit? An forte tertiam Enthymemati propositionẽ adijcit, vt fiat Syllogismus? Certè quidẽ quoad numerum propositionum nihil deerit, cum pro tribus facile inuenire possis sex, aut octo. Aut forte tota illa declamatio efficiet Syllogismum cornutum? Certè multa satis cornua habet, quibus egregiè exornari possunt Prædicantium tempora. Aut est inductio? Omnino, & quidem multarum ineptiarum. De testimo-

monijs scripturæ secundum se non loquor, sed de ineptis eorum citationibus. Aut fortè est exemplum? Sanè quidem optimum, ad demonstrandum, quàm luculentum illud sit mendacium totius cohortis Prædicanticæ, quæ Colloquio interfuit, quo in publico scripto, & eo quidem ipsi Protocollo annexo, quasi magnam ei lucem allaturo, tam audacter pronunciare ausi sunt, *se argumenta sua omnia & singula Syllogismo, vel alia in dialecticis probata argumentandi forma proposuisse.* Pudeat vos, ô Prædicantes, in publica vestra quasi Synodica epistola, coniunctis operis & suffragijs, tam splendidè mentiri, si vlla vobis adhuc frons est, si vllus animo pudor, si vllus cordi sensus. Circumspectius profectò Hunnius locutus est, quando indefinitè dixit, *se argumenta sua in Syllogisticam redacta formam proposuisse*: Quod etsi de vno & altero duntaxat affirmari queat, non ideo tamen Hunnius mendacij reus agi queat. Sed fortasse quando *omnia & singula argumenta sua, in forma Syllogistia* à se proposita fuisse dicunt, loquuntur de tribus tantum illis principalibus argumentis, ad quæ omnia alia ab Aduersarijs proposita referebantur, prout etiam in Relatione, tria tantum principalia Aduersariorum argumenta numerata lector inueniet. Sed primum quis hoc modo verba Aduersariorum explicet, quando absolutè de argumentis omnibus & singulis loquuntur. Nunquid juxta antiquum illud, *Tria sunt omnia*? Deinde si hoc tantũ volunt, nimis certe parum dicunt, nec ideo se à probro violatę formę, & cõditionis siue legis illius de argumẽtis in forma ꝓponẽdis vindicabunt. Quis enim tam stolidus sit, vt legem illam de principalibus solũmodo eiusmodi argumentis interpretandam existimet, cætera vtcunq; se habeant, nihil referre. Aut quis formam

dia-

dialecticam in argumentando seruasse dicat eum, qui cum per octo Sessiones, quæ non minus quinquaginta horis circiter durarunt, argumentantis officium sustinuerit, & tria tantum argumenta principalia in forma dialectica proposuerit, de cæteris secundarijs Argumentis, quæ ad principalia illa referantur, in forma proponendis, nihil aut parum sollicitus fuerit. Itaq; cum affirmatum illud Neuburgensium, hoc modo explicatum, vel quolibet mendacio turpiùs sit, necesse est, vt priore modo intellectum, tanquam apertum mendacium damnetur. Atq; hæc de forma dialectica Prædicantium, in argumentando.

CAPVT QVINTVM.

HVNNIVM, EIVSQVE COLlegas, dum Respondentium munere fungerentur, juxta præscriptum formæ dialecticæ, negando, concedendo, distinguendo non respondisse.

Hunn. Relat. f. B. 2.

IAM verò Hunnius à se, in Respondendo, formam dialecticam, seruatam eo argumento probat; *quia ad illorum*, inquit, *argumenta logicè simul & Theologicè respondimus*. Sed hoc refutatione non indiget. Tam parum enim logicè respondit Hunnius, quam Theologicè. Et magnopere errat, si existimat, aliquem de materia Theologica posse logice respondere,

dere,(negando, concedendo, distinguendo, vt debet) neq; tamẽ simul Theologicè: cum nemo magis Theologice disputet in materia Theologica, quam qui dialectice (salua interim materia) disputat. Licet enim forma dialectica doceri in Theologicis disputationibus non debeat (cum id sit proprium logicæ tractationis) attamen vsurpari omnino debet, cum ob hoc ipsum doceatur & discatur, vt in ceteris facultatibus & materijs tractandis, atq; explicandis vsurpetur. Hinc enim dialectica vel à præcipuis illis dialecticæ authoribus vocatur *instrumentum seu modus sciendi*, & velut ministra aliarum scientiarum. Quod non tantum in Colloquio Badensi Schmidelino D. Pistorius, sed etiam in Mompelgardensi Beza rectè in memoriam reuocauit. *Non, ignoras*, ait Beza ad Schmidelinum, (*quamuis) aliud sit, esse logicum, & aliud esse Theologum, tamen etiam in Theologia* λόγον *habere locum, modo principia & confirmationes ex Theologia sacra petantur.*

Sed rursus probat Hunnius, se logice ad argumẽta Catholicorum respondisse, quia videlicet responderit *per inficiationem, negando propositionem alterutram seu maiorem, seu minorem.* At imprimis rursus fallitur Hunnius, si hoc putat esse in forma respondere, quomodolibet negare aut distinguere propositionem aliquam. Nam necesse vtiq; præterea est, vt proposita ab Aduersario propositio, non alia quælibet in capite Respondentis fabricata, negetur aut distinguatur. Deinde breuiter, diserte ac apertè negatio vel distinctio promenda est, non per ambages & concionatorio stylo. Tertio certæ propositioni, jmò etiam termino propositionis, si quis ambiguus est, distinctio accomodanda

est: Quod quidnam esset, nec sciebat quidem Hunnius, quando in Colloquio tam insulse percōtabatur, *quid vocas applicare* (distinctionem?) Itaq; tametsi maximè negassent aut distinxissent propositiones Lutherani Prædicantes, non ideo tamen statim formam dialecticam in respondendo seruasse censeri possent, quandoquidē ipsæmet negationes, & distinctiones extra formam dialecticam proferri possunt.

Sess. 13.

Quod vt manifestius fiat, aliquibus exemplis Prædicanticarum negationum & distinctionum ex ipso Protocollo bona fide depromptarum, rem totam illustrabo. Et ne longè abeam, accipio primum illud argumentum à Catholica parte propositum, eo fine, vt probaretur alium judicem præter scripturam esse agnoscendum, id vero erat tale. *Si in omni Republica bene ordinata, aliquis alius judex præter scriptam legem requiritur, tunc etiam in Ecclesia, vtpote rectissimè ordinata, alius judex præter scripturam seu legem scriptam admitti & assignari debet: Sed verum est antecedens: ergo & consequens.* Ad quod argumentum Iacobus Hailbrunner, initio quidem in forma respondit, negando maiorē, laude dignus, si ita perrexit.

Sess. 9.

Sed videamus quàm minimè sui instituti tenax fuerit Prædicans. Maior negata, à nostris probata est per deductionem ad absurdum. *Alioquin enim sequeretur Ecclesiam esse minus bene ordinatam, quàm sunt aliæ Respublicæ huius mundi,* quod cum nemo non videat absurdum esse, cæci tamen Prædicantes vidisse non videntur. Ita trepide in cespitando responderunt. Sed quid? exscreatione opus est, quia sequitur concio. *Primum,* inquit idem Hailbronner, *non simpliciter negamus alium esse judicem, præter scripturam sacram, sed alium quoq; admittimus judicem, nempè*

Deum

Deum Opt. Max. quem omnes agnoscere, timere & venerari debẽt. (nullus scilicet in Colloquio aderat, qui sciret primum præceptum Decalogi, id ergo merito explicat Prædicans, sed quid amplius?) *qui per scripturam sacram, à se inspiratam* (quot verba!) *religionis controuersias dirimit, quam scripturam in secunda thesi vocamus vocem supremi judicis* (legit thesin, & mirum quod vnam tantum) *Deinde alia est ratio Rerumpublicarum huius mundi, quam gubernationis Ecclesiæ. Christus enim testatur regnum suum non esse de hoc mundo, ideoq; Ecclesia non potest regi & constitui mundano more, & idcirco à Republica ad Ecclesiam non valet consequentia.* Ita Prædicantis responsio. Et nonne hoc est in forma negare aut distinguere propositionem? sed quam? Ausim affirmare, nec quidem Prædicantẽ sciuisse, quid negare, quid distinguere debuerit aut voluerit, aut si sciuit, consulto argumentũ declinasse, ne forsitan eius laqueis irretiretur.

Itaq; cũ facta illa concione, breuiter subiunxissem. *quid negatis, aut quid conceditis?* Tunc Hunnius animaduertens, in quas angustias collega suus redactus esset, plenus formarum sic infit: *Negamus consequentiam,* (quod videlicet ex assertione Prædicantium sequatur, Ecclesiam esse minus bene ordinatam, quam sunt aliæ Respublicæ) *ea probetur?* Pulcherrimè, sed quamdiu? Videamus. Sequela illa, vt clarè & ordine procederetur, sic breuiter & in forma Enthymematis probata est. *Quia ad hoc vt Resp: aliqua sit bene ordinata, omnino requiritur, vt præter scriptã legẽ, etiam alius quispiam judex visibilis cõstituatur: Ergo si in Ecclesia non est alius judex, præter scriptam legem, sequitur Ecclesiam esse minus bene ordinatam. &c.*

Sed quid jã Hunius ad hoc argumentũ. *Probat,* inquit, *id D.D. quod nõ ad rẽ facit.* Rectissimè & in forma quis neget? Nihil opus est hic aliquã ꝓpositionẽ argumẽti negare.

 vel

vel distinguere, sed negatur totum argumentum, quia ad rem Hunnio non facit, & si vel maximè per illud probetur, quod antea ab Hunnio negatum, atq; adeo probandum erat. Sed quia non erat è re Hunnij, nec ad eius palatum faciebat, ideo scilicet non spectabat ad rem. Sed quid ego? breuissime his verbis, *Imo facit ad rem*, ac proinde vt resumeretur & ad illud in forma responderetur, petitum.

Sed quid Hunnio cum forma? *Nos*, inquit, *non tam turbulenter disputabimus, vt heri*. Quid opus est ergo multis? quisquis Hunnio nō statim cedit & credit, asserenti argumentum ad rem non facere, quisquis formam vrget, Hunnio turbulenter disputat: Nec id mirum est, cū Hunnius plus à Dialectica forma turbetur, quàm ab instructa acie miles. Igitur à me breuiter ei responsum est, *non turbulenter, sed in forma. Et si quis est hactenus turbatus sine mea culpa factum est*. Sed quid informis Doctor? *necesse est*, inquit, *vt probes, eandem esse formam gubernationis Ecclesiæ, quæ rerum publicarum in mundo, si ratio maioris constare debet*. Me autem subijciente, hoc mihi jam *probandum non esse, sed id duntaxat quod negatum fuerat*, nimirum si in Ecclesia non sit alius judex præter legem scriptam, sicut alioqui est in alijs Rebuspublicis omnibus, tunc Ecclesiam fore minus bene ordinatam, quod jam antea facto Enthymemate probatum, & in conclusione illatum fuerat.

Sed ne sic quidem ad formam adigi potuerunt informes Prædicantes. Quin vt deformitas vndiquaq; esset quam cumulatissima, ad Hunnium & Hailbrunnerum, quorum vterq; jam ab illo argumento diffugere nitebatur, accessit Andreas Osiander. Et quid ille for-

formarum? *Petis principium*, inquit, *nos desideramus probationem.* Sed cuius rei probationem, mi Doctor? Hoc scilicet declarat Iacobus Hailbronner, qui rursus suam antiquam cantilenam repetit. *Cum D. Doctor*, ait, *argumentetur à gubernatione mundana, ad gubernationem Ecclesiæ, necesse est vt probet illam consequentiam.* Sed & hunc corrigit Hunnius, cum ait; *Hoc probes, quod præter legem scriptam, alius quoq; sit constituendus judex visibilis.*

Hîc quid facerem, obsecro, inter tam informem tot Prædicantium coaxationem? Primus dicit, argumentum *non esse ad rem*, nec probari quod probandum est, alter dicit *me petiuisse principium*, cum tamen in petitione principij nunquam non probetur, quod probandum est, quandoquidem ipsamet conclusio probanda ad sui ipsius probationem assumitur. Tertius dicit probandam mihi esse *consequentiam à gubernatione mũdana*, ad gubernationem Ecclesiæ. Primus rursus ad caput disceptationis regreditur, ex quo jam per aliquot consequentias fuerat discessum, & postulat, *vt probem: quod præter legem scriptam aliusquoq; sit constituendus judex.* Quinetiam formæ tam necessariam inculcationẽ, appellat *turbulentam disputationem.* Hoc ne vero est in forma respõdere? Hoc ne est propositiones allatas negare & distinguere? Pudeat vos, ô Prædicantes, huius vestræ formæ, si vel formam aliquam pudoris præ uobis ferre potestis.

Sed nec dum finis deformitatis: cum enim post tam diuersas & contrarias aduersariorum interpellationes, petiuissem *per amorem Dei*, vt argumentum repeteretur, & ad illud in forma responderetur, tandem resumit quidem Hunnius, sed nec negando, aut distin-

guendo quicquam respondit. Quid ergó? *Tuum argumentum*, inquit, *est Enthymema, in quo altera propositio occultatur, quam petimus compleri, vt appareat, ad quid nobis respondendum sit.* Vides ergo, lector, quid Prædicantibus tantam tergiuersandi necessitatem attulerit? Nimirum respõsio ad obiectum Enthymema nondum illis occurrebat, imo *nec apparebat quidem, ad quid eis respondendum esset.* O ingentem Prædicantium calamitatem, qui eo Enthymemate in eas angustias redacti fuerant, vt nescirent, ad quid eis respondendum esset.

Vbi etiam illud obiter notandum, ad formam Prędicanticam hoc etiam inter cætera spectare, vt ad Enthymema non respondeat, imo nec respondere possit, nisi fiat Syllogismus,

Verum ne facto quidem Syllogismo, quicquam in forma respondere potuit Hunnius, sed concionando, declamando, vt etiam sæpius Hunnio à me exprobratum fuit, argumenti vim declinare studebat, in quo ne longus sim, ad Protocollum lectorem remitto, qui vel mediocriter eruditus, non tantum oculis cernere, sed vel manibus palpare poterit informem Prædicantium in toto illo argumento processum.

Hunnianæ distinctionis exemplum non contemnendum est illud ex eodem argumento. Cum enim ad probandum, quod scriptura non possit officium judicis sustinere, productum fuisset hoc Enthymema: *Scriptura primo non audit, nec audire potest vtriusq; partis argumenta, quando exoritur aliqua controuersia. Secundo non fert sententiam explicando legis sensum. Tertio non potest compellere transgressores ad obediendum per se.* Ergo vt Ecclesiastica hierarchia sit rectè ordanata alius constituendus erit judex

visi

visibilis, mox Hunnius cum sua distinctione prodit.
Respondeo, inquit Hunnius, *distinctè, quod ad primum membrum, scripturam non posse audire partes litigantes. Respondeo ex Thesi secunda in qua dicitur, verbum Dei scriptum controuersiarum esse judicem, aut sanè vocem supremi judicis. Ex hac igitur Thesi apparet, quod in regno Christi, præter scripturam constituatur alius judex, nimirum Deus immortalis, qui solus est, & vnus legislator in Ecclesia. Itaq; quando exoriuntur controuersiæ, tum sanè scriptura quoad litteram non audit, at Deus loquens in scriptura audit, & mediante ministerio verbi sui, per fideles interpretes examinat, & cognoscit controuersias. secundo explicat ex scriptura. Tertio definit & sententiam fert. Atq; ita deinde per pium magistratum suo modo homines possunt adigi ad audiendum verbum, & ad obtemperandum: Adeo vt non opus sit, constituere vnum quendam vniuersalem judicem, qui solus definiendi potestatem sibi vendicet: Quandoquidem donum interpretandi DEVS in Ecclesia non confert vni alicui, sed distribuit vt vult, 1. Cor. 12. Itaq; constat, quod regnum Christi longè aliter comparatum sit, quam regna mundana in quo Christus est vnus princeps Ezech. 37. Vnus legislator Iac. 4. Matth. 25. Nolite vobis vocare alium magistrum in terra. Vnus est enim magister noster qui est Christus. Sic ergo probatio Domini Doctoris est confutata, ostensa dissimilitudine regni Christi, & regnorum huius mundi, & data ratione, quod non opus sit, vno visibili judice.* Ita Hunnius. Et nonne bellè, nonne in forma, nonne artificiosè distinxit? certe quidem si distincta confundere, est distinguere confusa, bellissimè. Nam quid oro te, Hunni, distinxisti, antecedens ne illud propositi mei Enthymematis, an cōsequēs, an vtrumq;, an neutrū? Id profectò tam obscurū est, vt nullam tibi à me iniuriam fuisse illa tā existimē,

quan-

quando audita illa tua responsione aiebam, *te concionatum esse, non respondisse legitimè.* Sed & exemplum pulchrum negationis Hunnianæ idem argumentum suppetit. Cum enim Hunnius respondisset, non simpliciter negare se, quin præter scripturam sit alius quispiam judex in terris, videlicet ministerium verbi, hoc à nobis argumentum fuit propositum. *Aut illud ministerium habet aliquam saltem sibi communicatam à Deo potestatem, & quidem infallibilem judicãdi controuersias, atq; adeo etiam publicam, aut non habet: neutrum verò potest dici:* Ergo. &c. Quid hic Hunnius? Neganda vtiq; erat aduersario minor, & cum eam vno verbo rotundè negare posset, vide quam deformiter negarit: *probetur*, inquit, *minor*: Sed non prius quam Hunnius suam garriendi impotentiam aliqua declamatione exsatiarit. *Deinde*, inquit Hunnius, *respondeo distincte ad singula, primo de aliqua potestate, secundo de infallibili, Tertio de publica authoritate. Quoad primum profitemur, ministerio & Doctoribus Ecclesiæ, omnino aliquam à Deo potestatem concessam esse. &c.* Et cętera, quæ in hunc sensum per integram ferè paginam concionatur Prædicans. Habes ergo hic exemplum Hunnianæ negationis, quæ formalis non censebitur, nisi neget, & simul etiam distinguat, vt vix sciat tandem argumentans, quid responsum sit, aut quid probandum sibi incumbat.

Sess. 9.

Et quia indoctus Hunnij Collega Iacobus Hailbronnerus hanc formalitatem Hunnianam non didicit, ideo etiam ab Hunnio sessione decima quarta correctus est. Cum enim ad argumentum illud nostrum: *Iudex in omni controuersia talis esse debet, quem omnes habentes aliquas controuersias in eo foro possent adire, scriptura non est talis, verũ Ecclesia, ergo Ecclesia est judex non scriptura.* Cũ, inquam,

ad

ad hoc argumentum respondisset Hailbronnerus, negando minorem, mox Hunnius distinctionem attexuit; *maiorem*, inquit, *cum declaratione vocabuli accedere concedo. Adeuntur in scriptura & consuluntur Moses & Prophetæ sicut Abraham monet, vt diuitis epulonis fratres Moysen & Prophetas adeant Luc. 16. ergo maior conceditur secundum quid.* Melius dixero: Ergo Hunnius est dialecticus secundum quid, aut æquiuoce sicut homo pictus. Qualis enim aut declaratio, aut distinctio, est illa, aut quorsum spectat, quæ eius membra? si tantum secundum quid, ergo nō simpliciter vera est illa propositio. Quid ergo deest ei ad omnimodam veritatē? cur id non declarasti Hunni? aut si declarare non potuisti, cur non tacuisti, cur tuo collegæ vel tantillum dialecticæ formæ inuidisti? Esto seruare non potueris, aut volueris ipse, certè tamē seruare volentem interpellare non debuisti.

Sed hoc nimirum est, quod clarissimus vir quidam prudenter animaduertit, suisq; litteris de euentu disputationis Ratisbonensis testatum fecit. Vsqueadeo in toto disputationis processu timidum fuisse Hunniū, vt vix vnquam absolute quicquam concedere, aut negare ausus fuerit, sed ferè semper cum exceptione seu limitatione adiecta, *cōcedo, sed si qd latet postea declarabo. &c. non nego, sed distinguo, etsi* postea rē ipsa negaret. &c.

Et vt planè appareat, Hunnium abinitio disputationis ad finem vsq; vix vnquam, juxta formam disputandi dialecticam, distinxisse aut negasse quippiam, id eiusdem argumenti exemplo, quod vltimum à nobis propositum est, fieri potest manifestum. Cum ergo Sessione decimaquarta ostendissem, nec lectionem nec auditionem scripturæ esse media sufficientia ex-

L qui-

quirendi in omni fidei controuersia scripturæ sententiam, atq; Aduersarius respondisset, accedentibus saltem pijs precibus ac meditatione doctrinam veram à falsa discerni posse, propositum est hoc argumentum. *Compertum est, in Ecclesia* (quando qui-
Sess.14. dem in aliqua controuersia non suppetebat aliqua manifesta Ecclesiæ sententia) *multos etiam sanctissimos & præstantissimos viros, non obstantibus tamen precibus continuis, à scripturæ sensu aberrauisse. Ergo constat etiam hoc non esse medium ordinarium & sufficiens perueniendi ad veram in omni Religionis controuersia spiritus Sancti sententiam.* Hic mox Hunnius cum sua distinctione infit: *Respondeo per distinctionem, aliud est habere aliquod medium vel potius media & adminicula fidei, aliud vero ea debito modo vsurpare. Si auditum verbum debita ratione vsurpetur, & adhibeantur preces, & quis verbum illud meditetur sine præjudicio, quod alias veræ intelligentiæ obstat, ibi vero* C H R I S T V S *vniuersaliter pronunciat de ouibus suis, quod nouerint distinguere & agnoscere vocem pastoris à voce alienorum & Isaiæ 55. Dominus dicit verbum suum non rediturum esse vacuum, apud eos maximè qui illud in timore Domini meditantur Psal. 15. Quod attinet experientiam multorum sanctissimorum virorum aberrantium &c. respondeo, non est nostrum judicare, quid talibus obstiterit, quo minus* D E V S *illos radijs agnitionis suæ illuminauerit. Possunt enim esse causæ multæ soli* D E O *cognitæ, non tamen iniustæ. Est insuper discrimen magnum inter ipsos errores, quorum aliqui fundamentum salutis euertunt, alii qui vero superstructi fundamento seruato & custodito, tanquam stipulæ per ignem tentationis, & examinis judicij diuini deflagrant. Retinemus ergo sententiam vniuersalem, oues meæ*

vocē

vocem meam audiunt. Ita Distinctor Hunnius, cum quo itidem concludo: *Retinemus ergo* & nos *sententiam vniuersalem.* Hunnius nec dialecticè distinxit, nec quid sit dialecticè distinguere, nouit, quando nec indicat quidem, quid distinguat, an consequens, an antecedens, an vtrumq;, an neutrum, nec breuiter, sed concionantis instar suas distinctiones promit.

Et quid ad propositum faciebat illa distinctio de fundamentalibus erroribus, & non fundamentalibus; cum meum argumentum diserte loqueretur de quibusuis erroribus in materia fidei, seu quod idem est, via & ratione perueniendi ad veram scripturæ sententiam, in omni fidei controuersia. Itaque monui Hunnium, vt ad propositum argumentum, quod repetij, sine mutatione terminorum responderet.

Sed Hunnius nihilo minus pergit Aduersario tergum vertere. *Quod reuera*, inquit, *sancti coram* D E O *ad* D E I *cognitionem non perueniant, hoc est probandum.* Cui responsum est, hanc propositionem nobis probandam nequaquam incumbere, cum ea nunquam in mentem nobis venerit, nedum proposita fuerit. Sed pergit tergiuersator, *si vere sancti fuerunt, tum error ipsorum non fuit ex eorum genere, qui fundamentum salutis euertunt.* Sed rursus responsum est, id nos scire nequaquam auere.

Sed Hunnius accelerare fugam pergit, nec tamen erubescit. *Dico*, ait, *implicare contradictionem, quod aliquis sit verè sanctus coram Deo, & nihilominus errores foueat apud se, qui fundamentum salutis euertunt*. Quare acrius iam de sua tergiuersatione à nostris arguitur Hunnius, his verbis: *Hoc est impertinens, conaris effugere*. Sed hoc dicto magis exterritus, non solum fugere, sed & in tanta necessitate Principum opem implorare cœpit, vt quem sibi à tergo hostem imminere videbat, tantisper cohiberetur. *Peto*, inquit, *illum adigi ad responsum Categoricū*. Scilicet vt fur ille, qui sibi im̄inentes cernebat lictores, obuios quosq; inclamabat, vt quē ipse insequeretur furem apprehenderent, vt hac ratione insequentes ipse effugeret. Ita plane Hunnius, cum ad respōsum Categoricum dandum compelleretur, respondens ipse, vt hanc vim effugeret, nos qui argumentantes, non respondentes eramus, ad responsum Categoricum cogi postulabat, ob quam impudentiam à nobis merito derisus fuit. Et certè tanta fuit Hunnij tergiuersatio circa processum huius argumenti, vt respōsio ab eo Categorica nulla impetrari potuerit. Quocirca & argumentum indissolutum, & Sessio ipsa decimaquarta, & Colloquium ipsum vniuersum, à nostra parte conclusum est, his verbis; judicium permitti auditoribus, an recte (Hunnius) responderit.

Satis ergò tum ex responsionibus ad primum, tum ad vltimum nostræ partis argumentum patet, quàm bellè Hunnius ad propositiones sibi obiectas in forma dialectica respōderit, negando, aut distinguendo: item quàm inanis sit illa Hunnij probatio, qua ex eo demonstrare nititur, se in respondendo dialecticam for-

formam seruasse, quod propositionem alteram aut negarit, aut distinxerit.

Mitto quod Sessione vndecima propsitionem, quam distinguere se dicebat, negabat, neq; tamen se negare fateri volebat. Item quod Sessione decimatertia vix intra horæ spacium adigi potuerit ad respondẽdum clarissimę illi quæstioni, an aliquid omnino credendum sit necessario fide infallibili, quod nec in scriptura expresse extet, nec ex ea sola euidenter deducatur, vt videre licet initio Sessionis decimæ tertiæ. Neq; vero *hoc nimus obscænum & impudens mendacium est*, vt impudenter in suis notationibus scriptori Epistolæ illius obiecit, sed veritas ipsissima, quam nullo indicio refellere potuit Prædicans, quin eandem potius ipse veritatẽ, dum refellere studeret trepetijt. Et si maximè negasset, an non ipsum Protocollum eius rei euidentissimum præbet testimonium? An oculos cornicis configere cogitat Hunnius? Itaq; non illud, sed hoc potius *nimis obscænum & impudens mendacium*, est Hunnij, quando in suis illis notationibus ait, se *sine vlla, tergiuersatione responsum dedisse clarum, sibiq; per omnia constans, ad propositam illam quæstionem.* Quod profectò tam crassum est mendacium, vt nolim videri mendacium, nisi vel Aduersarij ipsi, lecto Protocollo initio Sessionis decimæ tertiæ judicent, esse mendacium. Scilicet hoc est, Hunni, non jam in forma respõdere, quod non didicisti, aut si didicisti facere noluisti, ne qua forte ratione deceptis mentibus lux veritatis affulgeret: Sed in forma mentiri, quod optime nosti, sicut & pater tuus, qui ab initio mendax fuit.

Hunn. mend. Notat fol. 21.

Quod si Hunnio hæc exempla sufficere non videntur

tur ad demonstrandam vanitatem Hunnianæ jactationis, quando ait, se logicè & informa respondisse, vel per inficiationem negando propositionem alterutram seu maiorem, seu minorem, seu per distinctionem respondendo, polliceor me ex singulis Sessionibus longè adhuc plura atq; etiam fortassis illustriora exempla Hunnianæ deformitatis allaturum. Hic quidem ista suffi-
Relat. compend. cere posse videntur, præter ea quæ de hac re satis copiosè jam alibi à me dicta sunt.

CAPVT SEXTVM.

EXCVTIVNTVR CÆTERA, quibus à probro violata forma dialectica, se suosq́; Collegas vindicare conatur Hunnius, qui etiam falsitatis ex proprijs verbis conuincitur.

NECDVM narrandi finem facit Hunnius, vt ostendat, se cum suis Collegis in respondendo, dialecticam formam seruasse. Id igitur noua ratione sic probat. *Quin, è conuerso,* inquit, *monstrauimus eis ex dialecticis, quibus fallacijs laborarent ipsorum paralogismi, & quando vel à parte ad totum imperitè concludebant, vel Syllogismũ in secũda figura faciebant affirmatiuũ, ad regulas dialecticas pueris etiam notas remisimus illos: Sed & per deductionem ad absurdum,* arg-

argumenti Papistici neruum haud raro incidimus, quod omnibus auditoribus adhuc constare minime dubitamus. Existimamus igitur non absq; forma legitima, nos in ea disputatione versatos esse. Ita Hunnius, satis quidem magnificè se circumspiciens, sed quæ magnificentia paruam rei fidem faciat, quando nulla probationum momenta adsunt. Et tu verò Hunni, quibus fallacijs laborarent nostri Syllogismi ostenderis? Certe quia nimis parum temporis habuisti, vt hòc facere posses, ego tibi vel años offero & te etiam atq; etiam prouoco, vt vel vnius syllogismi, vel consequentiæ nostræ fallaciam ex dialecticis regulis ostendas. Sed nimirum id est Hunnio fallaciam Syllogismi & quidem euidenter demonstrare, exclamare est paralogismus petitionis principij, est fallacia non dicti secundum quid ad dictum simpliciter, est ignoratio Elenchi, est fallacia accidentis, est Syllogismus affirmatiuus in secunda figura, etiamsi interim eiusmodi fallaciarum neq; rationem vllam reddere possit, neque singularum rationem norit, vt sanè ignorasse Hunnium, in mea Relatione demonstratum est, itaq; vtrumq; hoc, & quod, vt infra ais, *Iesuitica forma non vltima pars sit, ludere perpetuis fallacijs, & quod eiusmodi fallaciæ in ipso cursu collocutionis, euidèter à vobis sint cõmonstratæ:* vtrumq; hoc in veritatibus Huñianis, seu mendacijs numerandum est: sicut etiam quod de argumentationibus nostris à parte ad totum, & de deductione ad absurda dicis, vt infra suo loco declaratur. An autem Syllogismus, quem à nobis dicit fuisse propositum affirmatiuum in secunda figura, sit in prima, an in secunda figura, cum rubore discet Prædicans, ex edita à me Relatione de Colloquio Ratisbonensi. Part. 2. Cap. 5.

Illud

Illud vero, quod subiungit Prædicans, *se non tantum logicè, sed etiam Theologicè disputasse, & præter formam potissimũ fuisse solicitos de materia,* certo sensu explicatum facilè admitti potest. Si nimirum vocabulum *Præter*, juxta dictionarium Hunnij asserentis in Colloquio, Præter & contra scripturam, in religionis & dogmatum materia semper coincidere, accipiatur pro *contra*: Illa verò propositio exclusiua, Non tantum &c. Iuxta regulas dialecticorum explicetur disjunctiuè, hac ratione: Hunnius formam dialecticam non seruauit, aut aliquid amplius, quam dialecticam formam seruauit, quæ propositio disjunctiua verissima est, cum altera saltem disjunctionis pars vera sit, nempe quod Hunnius dialecticam formam non seruarit, etsi altera falsa sit. Et vero hunc sensum esse propositionis, ex eo colligere licet, quandoquidem alias inepte diceret Hunnius, se non tantum logicè, sed etiam Theologice disputasse in materia Theologica, cum vt etiam supra notauimus, nullus in materia Theologica logicè, hoc est, forma dialectica, salua materiæ veritate, disputare possit, nisi Theologicè simul disputet, vt etiam superius annotatum est.

Relat. Hun. f. B. 3. Itaq; verè quidẽ dicit Hunnius, *sine rerum tractatione, collocutionẽ non futuram fuisse Theologicam disputationẽ, sed puerilẽ quandam concertationẽ,* sed in hoc pueriliter fallitur, dũ putat eò minus quemq; Theologicè disputare in re Theologica, quo magis disputat logicè, eò vero magis Theologicè, quo minus logicè, cum tamen nemo magis Theologicè disputet, quàm qui, accurratissimè dialecticam formam in disputatione Theologica seruare nititur, ne alioqui quodlibet ex quolibet baculus ex

angu-

angulo, nigrum ex albo, more Prædicantico, colligatur.

Quod igitur plus centies clamatum fuit à nostris, (vt fatetur Hunnius) *respondeatur in forma, in forma, in forma, ideo factum à nobis* non *est, vt fucum faceremus auditoribus*, sicut calumniatur Hunnius, sed vt Prædicantes quam maxime ad disputandum logicè, in re Theologica, adduceremus, probè scientes, disputationem alioqui Theologicam esse pugnam laruarum, aëris verberationem, vmbratilem digladiationem, vt in meæ relationis parte tertia prolixius ostensum est. Relat. Hunn. f. B. 4 Cap. 4

Itaque & illud nihil aliud est, nisi vana calumnia Hunnij, cum ait; illud meum pronunciatum in Colloquio Ratisbonensi, *nisi in forma disputetur, non posse ad inuestigationem perueniri veritatis*, hunc apud nos sensum facere: *nisi materiæ ex sacris litteris explicatio inhibeatur, & res ipsa præstigijs Sophismatum implicetur, non posse ex sua parte, vllum sperari fructum ad fucandam doctrinam Pontificiam.* Calumnia, inquam, hæc est, & vana calumnia. Non enim alius est illorum verborum sensus, quàm ille, quem verba ipsa planè significant, videlicet apud pertinaces, neglecta illa forma legitima disputandi, falsitatem fucari posse, veritatem erui non posse. Hunn. mend.

Sed malè habet Hunnium, quod in Colloquio pronunciaui, *ex Colloquio Altenburgensi, Mompelgardensi, & alijs* inter Pseudoeuangelicos mutuò *habitis, nullum fructum extitisse, quia non fuerit obseruata forma Dialectica, Badense vero fructum attulisse, quod in forma illic disputatum sit.* quantum scilicet nostris, præ deformitate aduersariorum licuit. Quid enim ad hoc Hunnius? *Effrons,* Relat. Hunn. ibid.

inquit, *(ita me Christus amet) pronunciatum*. Et sanè verum jurauit etsi vel inuitus: Tam enim parum Christus amat Hunnium, quam parum fructus attulerunt Colloquia illa inter Prædicantes mutuo habita. Si enim ex illis consequutus est fructus, cur nullum memorauit Hunnius? Cur finito Colloquio Altenburgensi, in quo Saxonici tantum Prædicantes mutuo concertarunt, magis inter se exacerbatæ, quàm conciliatæ partes discesserunt? Cur saltem de norma doctrinæ conuenire non potuerunt? Cur etiam finito Colloquio Mompelgartensi, nec Beza Lutheranus, nec Schmidelinus Caluinista factus est? Cur scriptis & dictis, jta se post Colloquium mutuo partes dilacerârunt?

Dic sodes Hunni, si tam effrons illud pronunciatum est, dic & profer fructum, ne tu alioquin ipse effrons Prædicans esse conuincaris. Badense quidem Colloquium fructum multiplicem tulit, nempe dedecus non paruum Prædicantibus, quos cõstabat dialecticè nec velle, nec posse disputare; conuersionem optimi Principis, qui occasione tergiuersationis Prædicanticæ, non parum ad fidem Catholicam acceptandam commotus est, interitum pessimi Prædicantis Schmidelini, cuius fortasse canos dedecus illud ex disputatione reportatum ad inferos cum tristitia deduxit.

Quod vero Hunnius Pistorium virum clarissimum, velut *absurdissimum disputatorem, & Sophistam, cuius imperitia etiam fustibus emendanda* sit, & simul etiam tacito nomine Marchionẽ Badensem, Principem optimũ,

ac æternæ memoria dignum, quasi *fructum qui exaruerit, & potenti dextera DEI disiectus* fuerit, calumniatur, id more suo agit, non in viuos tantum, sed etiam mortuos, non solum in Iesuitas, aliosq; viros optimos, sed etiam Principes iniquus & impius. Viderit autem, ne forte Hunnio, pro talibus funebribus, quæ Principibus personis persoluit, præmium aliquod contingat, quod minimè velit. Certè, me suasore, securius calumniari poterit Iesuitas, quam tantos Principes.

Interim qua ratione mors illa præmatura optimo Principi, Nestoreis annis dignissimo, contigerit, discere poteris ex Relatione historica, quam Doctor Pistorius, vir, vt pessimis quibusq; hęreticis pessime exosus, ita judicio bonorum optimus, omniq; laude dignissimus, hac de re conscripsit. Relat. Pist. germa. Colon. 1 5 9 1. Intelliges certe fructum illum non exaruisse prius, quàm maturuerat, sed potius præcoci maturitate percoctum in cæleste horreum fuisse inuectum, quandoquidem *eo dignus non erat mundus*: nec tam *diuina dextra*, quam liuida scelesti hominis (cuius, quis dixerit?) manu cecidisse, vt pro tua illa infanda nænia, hanc optimo Principi non absurdè reponere possimus, quam Abnero Heroi fortissimo Dauid olim tristis decantauit: *Nequaquam vt mori solent ignaui, mortuus est, manus tua ligatæ non sunt, & pedes tui non sunt compedibus aggrauati, sed sicut solent cadere coram filijs iniquitatis, sic corruisti.* 2. Regum. 3.

Doctor autē Pistorius vir talis est, & tu Hunni talis, vt

ipse mea contra te defensione nequaquam indigeat. Illud tantum mirari lubet, si tam bene contra eum in Colloquio Badensi stetistis, si tam absurdus, vt ais, disputator est, cur contra eum Syllogismus ille vester quatuor terminorum melius defensus non fuerit? Cur contra eum (etsi tacito nomine) initio statim tractationis Colloquij huius Ratisbonensis exceperitis? Cur nullam ei disputationem cum Illustrissimi tui Principis consensu offeratis, qui toties ad disputandum vos inuitauit? Adesdum Hunni, & eum qui *meris Sophismatis*, vt tu ais, *rem suam agebat*, dialecticam doceas. Et quid trepidas? quin te sistis miser, non aliter certè quam Theologicè & dialecticè pugnaturus, non aliter quam Theologicè & dialecticè expugnandus.

Scire autem perquam desiderat Hunnius, *quē fructum afferre potuerint Colloquia Christi & Apostolorum ac sanctorum Patrum, cum hostibus Euangelicæ veritatis habita, cum tamen in ijs forma Iesuitica*, vt ait, *nusquam appareat, si ad quærendam illam Diogenem imitatus lucernam accendas, claro meridie.* Sed ad hanc Prædicantium vanam jactationem alibi jam à me & P. Iacobo Gretsero tam luculenter responsum est, vt jam non *lucerna Diogenis, in tam claro meridie*, sed oculis dūtaxat opus sit Prædicantibus, vt suam vanitatem videant. Hoc tantum addo: Etiamsi Christus & Apostoli *piscatoria simplicitate contenti*, vt Hunnius loquitur, formam Syllogisticam non tam accuratè per omnia seruassent, id tamen Prædicantibus in disputando indulgendum minimè esset, non tantum quia nec Christus, nec Apostoli sunt, sed vel maximè, quia ad piscatoriam simplicitatem, seu potius ruditatem, adiunxerunt serpentinam lubricitatem, Thrasonicam impuden-

Relat. part. 3. cap. 3. & in responso Iacobi Gretseri ad Theses Hunnianas Cap. 6.

den-

dentiam, asininam proteruiam, ac pertinaciam, ita vt nisi formâ dialecticâ, quasi chamo & fræno maxillę eorum constringantur, statim extra chorum saltitare, declamitare, euagari, tergiuersari incipiant, vt huius Colloquij experimento abundè comprobatum est.

Nec est, cur à nobis quærat Hunnius, an etiam forma dialectica *& scholastico more, quando in agone vltimo necesse habebimus disputare cũ Sathana,* vt ait, *dimicare velimus.* Non enim, vt existimat Prædicans, *necessum habemus in agone vltimo disputare cum Sathana*, quem nullo Colloquio dignamur. Tu potius videris, Hunni, qua forma cum illo disputaturus sis, qui & *necessarium* ducis *cum illo disputare*, nec tamen vllam formam habere potes, qua dæmonẽ constringas. Qua enim, quæso te, vteris? Iesuiticam nescis, in prædicantica multum te ipse, velut in ea re Magister vester, superat. Et tu ipse nosti quam malè cesserit eiusmodi disputatio Luthero, qui cum tua vtiq; contra diabolum disputans, forma vteretur, ab eo superatus est, missamq; abolere didicit, quàm monachus ante tot annos Deo obtulerat. Itaq; *sic existimo, si voles cum Sathana in eo agone disputare in forma Ratisbonæ à te vsurpata, tum Sathanam tibi haud minus responsurum in ea forma, teq; secum ad inferos abrepturum in forma*, vt tua in te verba retorqueam.

Notat. Hunn. f. C. 1

Notat. fol. C. 2

Illud vero per quam ridiculum est, quod etiam Roberti Bellarmini exactissimi disputatoris exactissimas disputationes, ad suam suorumq; deformitatem excusandam adducit Prædicans, quasi vero Bellarminus in suarum controuersiarum tractatione formam illam dialecticam non obseruarit. Sed quid in eo quæso desideras Hunni? Percurre omnia & singula capita

 illa

illa, quæ ad formam dialecticam requiri diximus, Relat. Part. 5. Cap. 1 cum ex parte argumentantis, tum ex parte respondentis, & admone, si quid à Bellarmino deprehenderis neglectum.

An ille cum probandi prouinciam suscipit, institutum non persequitur? an cum argumentandum est Syllogismos, Enthymemata, Inductiones, more dialectico, breuiter & concise non facit? An ad scopum præfixum non collimat? an operosè probat, quod extra controuersiam est? an singula argumenta separatim, & distinctè, quantum in scriptore dialectica disputandi ratio patitur, non proponit? Aut forte exspectas, Hunni, vt quemadmodum in disputatione, quæ inter præsentes, coram, & ore tenus instituitur omnium rectè sentientium judicio, ne vel respondentis, vel audientium memoria argumentorum confusione obruatur, argumenta singula seorsim & separatim proponi debent, ita & in scribendo quoq; secundum non proponatur, nisi ab Aduersario ad primum sit responsum? Velles non dubito Bellarminum vel in hoc vno dialecticum esse. Ita enim facilior tibi, tuisue Bellarminum oppugnandi ratio esset.

Iam vero impingitis quidem in illum omnes, veluti ad lapidem offensionis, & petram scandali, sed pars quidem confringitur, pars velut pila bene polito lapidi illisa refringitur, pars suo labori immoritur. Deinde an quicquam quoad respondentis officium in Bellarmino desideras? sed quid obsecro? an argumenta vestra in forma non resumit?

Imo

Imo & informia sæpe in formam redigit. An breuiter, rotundè, & disertè ad singula non respondet? Sed hoc sentitis nimis, quam verum sit. An argumentorum vim & cursum impertinentibus interrogationibus, & obiectionibus retardat, abrumpit, alio retorquet? Ostende, Hunni, tergiuersatorem Bellarminum, & te postmodum laudabo disputatorem: jam quia forte in Schramij disciplina nihil proficis, vel à Bellarmino dialecticam disce.

Sed conuincamus jam Hunnium, dum ait se dialecticam formam, veram illam ac legitimam in Colloquio seruasse, falsitatis, vel ex proprijs verbis. Vix enim tam cauta potest esse mendacitas, quin seipsam aliquando prodat. Et primo quidem huc faciunt illa Hunnij verba, quæ magnifico, & clarissimo viro Doctori Alberto Hungero ad formam dialecticam adhortanti respondit; dum ait, *Nos suo loco laudamus & probamus dialecticam, & logicas præceptiones, & vsurpamus illas, quantum satis est, ad rerum explicationem.* Sess. 1. Colloq.

Vnde sic argumentari possumus: Dialectica illa forma, quam Hunnius suo loco laudat & probat, est vera & legitima forma: Sed huic ipsi formæ, quam suo loco laudat & probat, prædictis verbis repugnauit Hunnius, aperte significans in Colloquio Theologico eam nô vsqueadeo rigidè exigendam nec amplius adhibendam, quàm Prædicantibus *satis esse* videatur. Altera ratio sit ista: dialectica illa forma, quę ab argumentante exigit bonas cõsequentias, est vera & legitima forma: Sed Hunius eam ipsam

for-

formam non semel detrectauit, vt quando sessione octaua jussus facere Syllogismum seu consequentiam ex obiecto scripturæ loco, *disertissime professus est, se nolle amplius disputare nisi cohibeantur eiusmodi interpellationes. &c*
Tertio Christus Apostoli, & sancti Patres non ita scru-
Notat. fol. C. 1 pulosè seruarunt veram ac legitimam formam, vt ait Hunnius in suis notationibus: Sed Hunnius *seruauit, formam à Christo & Apostolis & à Patribus obseruatam* vt ipsemet de se, licet falso, jactitauit in Colloquio: ergo for-
Sess. 13. mam etiam veram & legitimam vsqueadeo scrupulosè non seruauit. Quarto, forma, quam Hunnius Iesuiticā vocat, est vera ac legitima forma dialectica, non solum tot Academiarum Italiæ, Hispaniæ, Galliæ, Germaniæ, sed etiam omnium recte sentientium, & vel mediocriter peritorum judicio, qui ea, quæ ad formam dialecticam Iesuitarum judicio requiruntur, à me in Relatio-
Relat. parte 3. cap. 1 ne declarata perpendere voluerit: Sed Hunnius tantum abest, vt illam seruarit, vt etiam se non seruasse glorietur, cum in suis notationibus ait, *formam Iesuiticam*
Notat. fol. C. 1. *fateor me & neglexisse, & neglecturum in æternum.* Et rursus: *Quod Iesuiticam formam neglexi, contentus forma veteri genuina* (Sathanæ) *equidem gratulor mihi:* Quinetiam in Relatione
Notat. fol. B. 4. aperte protestatur, se passurum non esse, *vt ad illam formam astringatur:* Ergo sanè veram ac legitimam formam Hunnius non seruauit. Verum quonam modo Iesuiticam formam oppugnet Hunnius, jam videamus.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

EXCVTIVNTVR EA, QVÆ in forma Iesuitica, dum argumentantis munus sustinet, reprehendit Hunnius.

VT Hunnius jure à se repudiatam ostendat formam dialecticam, ad quam in Colloquio ipse cum suo Collega toties extimulabatur, Dialecticæ & legitimæ formæ nomen illi abrogat, eamq; appellat *formam Iesuiticam, Esauiticam, sophisticam, nouam, heri natam, personatam, nugigerulam, materiæ & legitimæ formæ penitus expertem, informe monstrum, adulterinam, notham, meretriciam, comptam meretriculam, venustate sua Venerem superantem.* Ita *nugigerulus* iste *seminiuerbius.* Sed frustra prudentibus fucum facere conatur, quando omnes totius Italiæ, Hispaniæ, Lusitaniæ, Galliæ, imo etiam Germaniæ Academiæ rectè constitutæ, hanc, aut stolidam Hunnij imperitiam ridebunt, aut insignem impudentiam execrabuntur, quæ nullam, nisi quam Iesuitę in Colloquio exegerunt, quam Prædicantes in Colloquio detestati sunt, dialecticam formam norunt. Relat. Hunn. f. B. C & Notat. fol. 1. B.

Et quid opus est multis? Nec imperitorum quidem, qui vel scintillam rectæ rationis habeant, judicium hac in re pertimescam. Iudicet enim quisquis sani capitis est, an non forma verè dialectica, genuina, maximeq; ad veritatem indagandam accomodata sit, in qua ante omnia pari conditione disputantibus, suus

cuiq; & ad probandum, & ad respondendum locus integer seruatur? An non argumentantis officio optimè fungatur ille, qui & argumenta sua forma Syllogistica, seu alia in dialecticis probata argumentandi ratione breuiter comprehendit, & ad præfixum semper scopum collimat, qui nihil probat, nisi ab Aduersario negatum, & qui nec idipsum quidem nisi singulis argumentis separatim propositis probat, ne multitudine argumentorum simul propositorum & respondentiũ, & audientium memoria confundatur aut obruatur?

Deinde vero respondentis partes quis rectius explet, quam, qui argumenta vt ab aduersario proposita sunt, omnia in forma integrè, & quantũ fieri potest, immutata resumit, qui ad singulas propositiones concedẽdo, negando, vel distinguẽdo breuiter respondet, suasq; distinctiones, seruata propositionis cõnexione, termino, q̃ distinctione indiget, applicat, q̃ cursum argumenti non moratur, nec interturbat, sed argumentanti partes integras seruat, nec ex abrupto se in argumẽtantẽ respondens ipse transformat, qui nullam cõsequentiam negat, nisi cum ratione aut cõmuni illa omnibus nota, quando Enthymema seu alia quædam imperfecta consequentia est, aut speciali ratione assignata, vitioq; formæ demonstrato, si perfectus Syllogismus videatur esse propositus.

Quid obsecro tali disputatione venustius, quid ingeniosius, quid jucundius, quid ad veritatem patefaciendam aptius? Eant modo informes isti tenebriones, & lucem in tenebras, sursum ac deorsum vertant omnia, argumentantis & respondentis partes confundant, nec argumẽta in forma syllogistica seu dialectica propo-

proponant, nisi pro suo quandoq; arbitrio, nec in forma resumant; probent solerter, quod ab aduersarijs nunquam negatũ est, negatum probare nec possint neq velint, vix rotunde cõcedere vel negare quicquam ausint, nec distinguere possint, nisi declamitando, & concionando, suamq; interim distinctionem, nec termino, nec propositioni certæ alicui applicent, ita quidem vt nec ipsi sciant, quid distinguere velint, aut debeant, & persuadeant quibus volunt, se *formam dialecticam genuinam, legitimam, veterem Christi & Apostolorum seruare.* Certè quidẽ Iesuitæ ad formam dialecticam, & legitimam, præter ea, quæ jam cõmemoraui; aliud non requirunt, vt alibi à me declaratum est, nec à Prædicantibus, quos ad seruandam formam dialecticã vrgebant, aliud exigebant. Sed quia Hunnius, mirum, quibus modis dialecticam formam à Iesuitis in Colloquio vsurpatam & postulatã exagitat, vt ita imperitis & rudibus ꝑsuadeat, eam nouam, & indignam esse, quæ in disputatione, cui veritatis scopus præfixus sit, admittatur, id nunc paulisper examinandum est. Relat. part. 3. cap. 1.

Primò queritur indoctus Prædicans, per formam *Iesuiticam, maiorẽ Syllogismi propositionẽ aliquoties ita verbis dubijs formatam, vt haud perinde constaret, essetne concedẽda simpliciter, an vero neganda, an distinguẽda. Ad hanc ergo vafriciẽ deuitandã,* inquit insulsus Hunnius, *respondendũ fuit non simpliciter, sed cũ reseruata declaratione, si quid aliud sub ea (furtim) occultari deprehensum fuerit.* Terribiles profecto sunt Iesuitę, qui tales possunt propositiones formare, quibus Prædicãtes nec cõcedendo, nec negando, neq; distinguẽdo, queãt satis facere, quas subinde Prędicãtib9 op9 fuit negare cõcessas, cõcedere negatas vt in sessione nona & 10. accidit; Relat. Hunn. f. 8. 4.

ſubinde trepidè & timidè dicere; concedo, ſi quid latuerit, ego mihi reſeruatum cupio: ſubinde vero: concedo ſecundum quid, nego ſecũdum quid, cum interim quid illud ſecundum quid, ne quidem explicare ſecundum quid poſſent.

Et non te pudet, Hunni, tam apertè tuam tuorumq́ imperitiã hîc prodere, cum diſertè profiteris, te in eas quandoq; anguſtias redactum, vt neſcires *an concedenda, an neganda, an diſtinguenda* eſſet propoſitio, quod tamen etſi negares, res ipſa pro te loqueretur, vt ſupra à me luculento exemplo demonſtratum eſt. Vel hoc ſane argumento diſcent omnes, quanta ſit aut dialecticæ formæ, aut Catholicæ veritatis vis & energia, quæ Prædicantes in tantas anguſtias concluſerit, quanta etiam fuerit illius rumoris vanitas, qua Prædicantes poſt Colloquium victoriam identidem iactitabant, cum ex eorummet confeſſione manifeſtum ſit, eos in tantas anguſtias eſſe coniectos, vt ſubinde neſcirent, an concedenda, an neganda, an diſtinguenda eſſet propoſitio. Et hoc nimirum eſt, facile potuiſſe ad Catholicorum φλυαρίας reſpondere, vt Prædicantes Neuburgenſes iactitarunt. Nec eſt quod Phariſæos, & ſcribas, huius artificij autores nobis obijciat Hunnius, cui meliori jure Chriſtum autorem dare poſſumus, vtpote qui talibus propoſitionibus, vel ipſiſmet Phariſæis ſilentium impoſuit, vt in primis factum eſt illa quæſtione, *Baptiſmus Ioannis vnde erat? è cœlo, an ex hominibus?*

Append. prot.

Matth. 21. Marc. 11. Luc. 20.

Secundo conqueritur Prædicans, quod forma *Ieſuitica non relinquat liberum reſpondere, ad hanc vel illam propoſitionem allati Syllogiſmi.* Merito. Ad ſingulas enim propoſitiones breuiter reſpondendum eſt, vt conſtet, quid nege-

Relat. Hunn. f. B. 4.

negetur, quid concedatur, quid in controuersia sit, quid non sit, ipseq; Aduersarius tandem, suamet confessione constrictus teneatur. Sed quia nimirum hoc ipsum summæ artis est, scire quid negare, quid concedere oporteat, ne postea quod semel negatum est, concedere debeas, aut contra, eamq; Prædicantes hactenus non didicerunt, vt paulò ante confessus est Hunnius; neq; vero in causa tam deplorata perdiscent vnquam, me quidem suasore, nunquam posthac ad disputandum dialecticè sese offerent.

Tertiò *ad ornatum formæ illius meretriciæ pertinet*, inquit Hunnius, *vt si quando Syllogismum suum repetit & recoquit, noua membra subinde infarciat.* Sed falleris Hunni, hoc nec dialectica vetus, nec illa quam tu *Iesuiticam* vocas, admittit, sed vtraq; potius respondentem instruit, vt hoc argumentanti ne concedat, ni prius fateatur, prioris argumenti imbecilitatem, id quod vel Catholicorum exemplo discere poteras, qui nouũ tuum argumentũ, sub prioris argumenti specie propositum, reiecerunt. Id quidem semper integrum est argumentanti, vt quãdo propositiones quædam in alienum sensum à respondente trahuntur, clarioribus subinde terminis seu verbis, non tamen à prioribus, quo ad sensum, diuersis, argumenti vim explicet, quod à nobis quandoq; factitatum esse, non nego.

Relat. Hunn. f. B. 4.

Sess. 4.

Quartò *formæ*, inquit Hunnius, *Iesuiticæ non vltima pars est, ludere perpetuis fallacijs, præcipuè petitionis principij, causarum, accidentis, à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter, ignorantiæ elenchi. &c.* quas etiam dicit, *euidenter à se in ipso Colloquij cursu esse commonstratas.* Sed respondeo primum, si maximè fallacia quædam sophistica à nobis in argu-

Relat. Hunn. f. C. 1.

mentando fuisset commissa, non ideo tamen culpandam esse formam Iesuiticam, cum hoc secundum eam nequaquam fiat, sed contra eam. Deinde respondeo *non vltimam partem formæ Prædicanticæ esse, ludere perpetuis* mendacijs. Nam qua ratione probas Hunni, vel vnam à te fallaciam commonstratam esse? Nempe quia sine omni ratione subinde, quando nesciebas quid negandum, quid concedendum, qd aut quo modo distinguendũ esset, vt supra cõfessus es, exclamabas, est *petitio principij*, est *ignoratio Elenchi*, est *fallacia causarum*, est *Syllogismus in secunda figura affirmatiuus*, quantumuis esset in prima. &c. ideo scilicet *euidenter* etiam demonstrasti fallacias falsò nobis impositas.

Mend. Hunn.

Quintò, *sed & à parte ad totum argumentari est illis argumentari in forma*, inquit prædicans, quod duobus exemplis quasi à nobis in Colloquio propositis confirmat. Primum. *Si quarto præcepto decalogi potuerunt adijci cætera præcepta, vtiq; etiam toti systemati Mosaicæ doctrinæ potuerunt adijci traditiones non scriptæ. Quid? nonne hoc argumentum forma sua Thaidem ipsam superat?* inquit informis Prædicans. Secundum profert ex Sessione decima. *Apostolus Thessalonicensibus tradidit aliqua dogmata, quæ priore epistola Thessalonicensibus inscripta non tradiderat, ergo commisit aliqua dogmata traditioni vocis, quæ in scripto verbo non extant.* Sed quid? *Nonne* hæc frons Prædicantica *forma sua Thaidem ipsam superat*, quando tam impudenter mentiri non erubescit?

Relat. Hunn. f. C. 1.

Certè si totum Protocollum perlegatur, nusquam aut primum, aut secundum hoc argumentum à nobis propositum esse lector comperiet. Exemplum quidem illud quarti præcepti decalogi adductum est, sessione quarta, sed nequaquam ad hoc institutum, vt

Mendacia Hunn.

pro-

probaretur, aliquid toti systemati scripturæ potuisse adijci; sed solum ad demonstrandam vanitatem illius miserabilis propositionis, qua Prædicantes dicebant, si puniti sint omnes, qui recesserunt à verbo Dei scripto, atq; adeo verbum Dei scriptum transgressi sunt, tum illud esse *vnicam normam fidei. &c.* quam quidem exemplo 4. præcepti decalogi euidẽter redarguim9 hac ratione. Nam si eius propositionis sequela bona esset, tum eadẽ forma argumentari & concludere liceret in hunc sensum: si puniti sunt omnes, qui recesserunt à quarto pręcepto decalogi, tum sequitur quartum præceptum decalogi esse *vnicam normam fidei. &c.* quam argumentationem nemo non videt esse vanissimam, vsq; adeo, vt Prędicantes suam illam propositionem nunquam *in omnem sempiternitatẽ* probaturi sint, vt cũ Hunnio loquar.

Sessione verò decima non illud Hunnianũ, sed hoc à nobis argumentũ est propositum: si S. Paulus non obstantibus ijs, quæ tum à se, tum ab alijs Euangelistis, & sacris scriptoribus jam conscripta erant, nihilominus Thessalonicensibus traditiones quasdam non scriptas commendat, tum sequitur traditiones quasdam non scriptas præter scripturam esse agnoscendas, sed verũ est illud antecedens; ergo & cõsequens, quod profectò longe diuersum est ab eo, q̃ nobis Hunnius affingit. Patet ergo illa, quæ Hunnius attulit, non esse argumenta Iesuitica, sed mendacia Hunniana

Deinde vero non omnem argumentationem à partibus ad totũ vitiosam esse, discere poterit Hunnius ex Aristotele, nec vllo exemplo probare poterit, aliquã in hoc genere fallaciam à nobis commissam esse. Lib. 6. Top. cap. 6.
Atq; hæc quidẽ Hunnius culpat in dialectica forma Iesuitarũ, dũ argumentantis partes obit.

CA-

CAPVT OCTAVVM.

EXAMINANTVR EA, QVÆ narrat Hunnius de forma Iesuitica, dum Respondentis officium præstat.

IN *diluendis* autem *argumentis alterius partis, quam sese præstet ista forma porrò videamus*, inquit Hunnius, cum quo & nos, sed melius, quam ipse, videamus. Et initio quidem gloriatur Prædicans nullum argumentum à sua parte propositum *ad doctrinam logicam de Elenchis fuisse exactum, ostendendo quæ aut qualis esset commissa fallacia, quod tamen ab ipsis frequentissime præstitum esse diffiteri nequeamus.* Sed vt rem paucis expediam, in vtroq; Hunniana veritas tam clarè elucescit, vt nullo negotio falsitatis redargui possit. Annon enim frequentissime ad oculum tibi demonstrauimus, fallaciam *petitionis principij* à te commissam, præsertim vero Sess. 5. cum toties tanquam irrefutabile argumentum obijceres, *ratum, & firmum esse discrimen inter præceptum quartum decalogi, & totum corpus scripturæ*, quod hoc contineat omnia, quæ ad cultum & fidem petinent, illud vero nequaquam? An non toties tibi fallacias æquiuocationis seu ambiguitatis demonstrauimus, quoties per immotas distinctiones, vestras obiectiones dissoluimus? An non toties vestros elenchos tanquam pseudographos redarguimus, quoties aut vnam, aut vtramq; ex adductis propositionibus falsam esse demonstrauimus? Et tu dicis,

Mend. Rela: Hun. fol. C. 1.

nun-

nunquam tuos ſyllogiſmos de vitio redargui potuiſſe? Alterum autem vel ipſo facto falſum eſſe demonſtramus, quando re ipſa diſertè ac jure optimo negamus, vllam fallaciam à nobis comiſſam, aut à vobis in Colloquio vnquam eſſe monſtratam, vt etiam ſupra indicatum eſt. Itaq; vtrumq; dictum illud continet apertam fallaciam Hunnianæ pſeudologiæ.

In ſpecie vero Ieſuiticæ formæ artificium deſcribere nunc aggreditur: & quia nunquam didicit ſuas diſtinctiones ad propoſitiones & terminos propoſitionum ambiguos applicare, nec in alijs quoq; id artificij æquo animo ferre poteſt, liuidus plane Prædicans, qui quod in alijs bonum videt, cum in ſe non videt, inuidet: quinetiam, vt vulpes illa, quæ ſuâ caudâ fructus quamuis optatiſſimos ex arbore decutere non poterat, contemnit, & ridet. Ego vero laudi duco eam, quam Prædicans in hoc genere exempli loco affert reſponſionem meam, licet ipſe μετὰ πολλῆς φαντασίας *inceſpitans* eam rideat, neq; dubito cuiq; ſano magis probatum iri, quam illas Hunnianas diſtinctiones, quæ quales ſint, ſupra oſtenſum eſt. Quinetiam meliorem eſſe ea diſtinguendi ratione, quam hoc loco Prædicans tradit (etſi paulo melius tradit, quam exercuit,) qui vtramq; leget, intelliget. Ait enim: *Nos ita reſpondemus in forma veteri, ineſſe argumento æquiuocationem vocabuli, ex qua homonymia emergant quatuor termini, ideoq; connexionem diſtrahi juxta regulam, cauendum, ne ſit ambiguitas in terminis, ſed apud Ieſuitas hac forma nimis vetus* (dicere debebat Prædicans triuialis,) *eſt, ideoq; diſplicet.* Et meritò quidem. Primo enim tali diſtinguendi ratione, dicitur quidem ineſſe æquiuocatio terminis, ſed nō oſtenditur, quæ & qualis. Relat. Hunn. f. C. 1.

Secundò ad ſoluendum argumentũ, non ſatis eſt oſtẽdere ęquiuocationem eſſe in termino, niſi ſimul oſtendatur, terminũ hic & nunc æquiuoce accipi, vt ex hoc exemplo liquet. Omne ſentiens eſt animal: omnis canis (latrans) ſentit: ergo omnis canis (latrans) eſt animal. Quæ argumentatio optima eſt, tametſi vox canis alioquin æquiuoce non ſumatur. Tertiò non ſatis eſt dicere terminum in præmiſſis ſignificata habere diuerſa, niſi oſtendatur propoſitionem aliquam ex præmiſſis in vno ſenſu veram eſſe, in altero falſam. Nam vt illud tuum exemplum proponamus: *Omnis aries eſt animal: Quoddam inſtrumentum bellicum eſt animal: Ergo quoddam inſtrumentum bellicum eſt animal:* fruſtra dixeris, *ineſſe argumento æquiuocationem vocabuli arietis, ex qua homonymia emergant quatuor termini &c.* Niſi oſtendas ſimul maiorem vt & minorem illam propoſitionem vno quodam ſenſu falſam eſſe, etſi altero ſit vera; quod in illa tua diſtinguendi ratione non accidit. Quarto etiamſi per omnia ſolida eſſet illa, quam Hunnius adfert, diſtinguendi ratio, nulla tamen æquè clarè ipſius diſtinctionis vim, atq; argumenti ſolutionem ob oculos ponit ac illa à nobis vſurpata. Illud vero, quod ait, ſuam diſtinguendi rationem eſſe *veterem*, noſtram autem *nouam*, tum demum credam, quando ſuam mihi vel in ſcripturis vſpiam, vel in ſanctorum Patrum monumentis demonſtrarit. *Secundò obſeruet lector*, inquit Hunnius, *hanc quoq; particulam artificij Ieſuitici, quòd iſti nugiuendæ (ſub crimine læſæ formæ Papiſticæ) imperiosè poſtulant, vt ad argumentum non prius reſpondeas, quam id ex more puerorum in ſcholis aſſumendo repetiueris.* Res planè optima, & ad quam ſine dubio maxima ratione in ſcholis dialecticæ ſtudioſi aſſueſiunt;

Relat. Hunn. C. 2.

unt; ſed quam ne *pueri* quidem *centum annorum* inter Prę-dicantes norint, quibus hoc valdè incommodum accidit. Adimitur enim eis hac ratione facultas tergiuerſandi, aliaſq; propoſitiones & argumentationes cōfingendi, contra quas declamitent, vt ſubinde in Colloquio faciebat Hunnius, & in hac ipſa Relatione fecit, quando, vt paulo ſupra oſtenſum eſt, ſua figmēta noſtra facit argumenta. Deinde Collocutores, & auditores melius reſponſi vim intelligunt. Et ſi nos Prædicantiū argumenta, quæ ſæpe ante horas, nonnunquam etiam pridie fuerāt propoſita, nō repetiuiſſemus, qualis hæc, non dico diſputatio, ſed altercatio fuiſſet, qualis rerū omnium confuſio. Sed *quia* Prædicantes *de rerum veritate in ſuis conſcientijs deſperarunt* (agnoſcit ſua verba Prædicans,) ideo fugiunt lucē, ſtudentq; ita reſpōdere, vt nec ipſi, nec argumentans, nec auditores, quid reſponſum ſit, intelligere poſſint.

Tertiò *ait formam Ieſuiticam ignorare ſub completo vniuerſali contineri particularia & ſingularia.* Idq; eo exemplo demonſtrat, quaſi à nobis dictum ſit, ſcripturam non judicare Arium, *quia non in indiuiduo illum nominet*, his verbis, Arius eſt hæreticus. Sed minime ignoramus, Hunni, ſub cæteris tuis mendacijs, hoc ipſum particulare & ſingulare contineri. Certe quidem id à nobis aſſertum nunquam eſt, cum ideo ſolum negatum ſit, ſcripturam proprie judicē in Arrij cauſa fuiſſe, quia non clare pronunciauit ſententiā his aut ſimilibus verbis, Arrius eſt hæreticus, ideoq; prę ter ſcripturā op⁹ fuerit, viſibili aliquo judice, per quē elucidata ſcripturę ſentētia clarè Arrius cōdemnaretur, vt in cōcilio Nicæno factū eſt. Atq; hunc fuiſſe ſenſum illius argumenti facile potuiſſet intelligere Hunnius, ſi veritatem intelligere Relat. Hunn. f. C. 3. Hunn. mend.

 quam

quam calumniari maluisset, ex eiusdem argumenti cursu, quando dictum est: *sententia judicis debet esse clara & distincta & explicita: Ista sententia scripturæ non fuit clara & distincta & perspicua, vt ab Ario intelligeretur: ergo. &c.*

Relat.Hunn.f.C.3. Quartò, *non postremus fucus*, ait noster fucus ignauum pecus, *est forma meretriciæ à Iesuitis deprædicatæ, quod cum nil quicquam habent amplius, quod respondeant, nude negant consequentiam*, in Enthymemate videlicet, seu imperfecto Syllogismo, non autem in perfecto Syllogismo, vt alibi

Notat.fol.B.1. mentitur Prædicans. Id verò absurdum esse, duobus mendacijs demonstrat. Primum, *etsi vel ex vinculis aut*

Hunn.mend. *tortura respondere debeant, assignare non possunt vllam probabilem saltem rationem suæ negationis.* Fallis, Hunni, aut falleris, paulopost enim extra torturam rationem tibi assignabo planissimam. Secundum, quod *Iesuitæ ipsimet eam justè negari non posse, tam norunt, quam suos norunt digitos.* Imo juste in Enthymemate negari posse, *tam norunt, quā suos norunt digitos.* Accedunt aliæ duæ firmissimæ rationes, quibus id plane absurdum esse demonstrat Prædi-

Not.Hunn.fol.B.1. cans. Prima, quia vt in suis notationibus ad epistolam illam historicam cuiusdam Catholici ait, *negare consequentiam per præcepta dialectices minimè licet, ni vitium monstretur in alterutra præmissarum.* Secunda quia alias *quisq;*

Relat.Hunn.f.C.3. *hæreticus*, vt in sua Relatione ait Hunnius, *perpetuo negando consequentiam disputaret in infinitum, nec vnquam erroris aut falsitatis posset redargui: quin hæc forma cunctis sceleratis corā judicio condemnandis præsentissimam defensionem suggereret, ne vnquam ad finalem sententiam, vel huius executionem perueniri posset.* Sed heu quàm aut miseret, aut tædet me tui, Hunni; ita non modo doctrina, sed & docilitas tibi deesse videtur, quem, syncere loquor, tam imperitum esse,

nec

nec juranti quidem credidiſſem: jam expertus credere debeo. Sed eſto bono animo, adhuc etiam iſtuc, quicquid eſt laboris & tædij deuorabo, vt hoc loco dialecticam te doceam. Forte ſi me audire voles, tuam ruditatem nonnihil adhuc perpolire poteris.

Vt ergo intelligas, an & quando recte negari poſſit conſequentia, ſcire debes primo quid ſit *conſequentia*, ſecundo quid *negare conſequentiam*. Vtrumq; enim ignoraſſe hactenus videris. Itaq; *conſequentia* propriè & recepto apud dialecticos loquendi modo, nequaquam eſt idem, quod concluſio ſeu conſequens illud (vt dialectici vocant) quod in Enthymemate ex antecedente infertur, vt tu exiſtimaſſe videris, ſed ipſa propoſitionum connexio ſiue *ſequela*. Vnde negare conſequentiam, non eſt idem, quod negare concluſionem ipſam per ſe, ſed nexum ſeu connexionem conſequentis cũ antecedente; & vt vno verbo dicam, nihil aliud eſt, quam negare, concluſionem ſiue conſequens ſequi ex antecedente ſeu præmiſſis, tametſi forſan hæ per ſe alioqui ſint veriſſimæ, vt etiam è conuerſo conſequens veriſſimum eſſe poteſt, cũ tamẽ peſſima ſit conſequẽtia. Hinc ergo jam apertè liquet, eum, qui conſequentiam negat, non debere oſtendere vitium in præmiſſis, ſed in ipſa duntaxat collectione ſiue illatione.

Exemplo res tibi declaranda eſt. Proponat aliquis hunc Syllogiſmum: Omnis aſinus eſt animal: Hunnius eſt animal, ergo Hunnius eſt Aſinus. Tu, conceſſis vtiq; præmiſſis, negabis conſequentiam: quantumuis nullum in præmiſſis vitium monſtrare poſſis, vtpote quæ per ſe veriſſimæ ſunt, ſed ſolum in collectione ipſa, ſiue illatione, & argumentandi forma,

quæ ideo mala eſt, quod ſit affirmatiua in ſecūda figura. Hinc ergo vlterius diſce, mi Hunni, ſi proponatur tibi aliqua conſequentia, quam omnes ſciunt eſſe imperfectam, vtpote per quam, eadē forma ſeruata, aliquando vera, aliquando falſa propoſitio, ex antecedēte vero colligatur, vt quidē eſt Enthymema, jam liberè negare poteris conſequentiam: Nec opus erit, vllam aliam negatæ cōſequentiæ peculiarē rationem reddere, cum hæc ipſa vniuerſalis, jam omnibus ſatis perſpecta ratio ſufficiat, quod ea conſequentia ſit imperfecta. At quando ſyllogiſmus proponitur, negari nō debet conſequētia, niſi oſtendatur vitium in forma ſeu illatione, & tunc ſcilicet locum habebit tua illa reſponſio, eſt *ſyllogiſmus affirmatiuus in ſecunda figura*, modo interim ne ſit in prima figura.

Quod autem obijcit Hunnius, *quemlibet hæreticum hac ratione ſe tueri*, quin etiam furem à furca ſeſe liberare poſſe, libenter cōcedo ſi hæretico aut furi, Hunnio judice, diſceptandum ſit, qui nō videtur poſſe ex Enthymemate facere perfectum Syllogiſmum, ſed & ex tua informi dialectica, quando ita furum patrocinium ſuſcipere placet, docere illos poteris adhuc longè commodiorem rationem euadendi furcam, quo impoſterum, te authore, facillimè in iudicio tueri ſe fur quiſq; valeat. *Etenim accuſatus fur, ſi audiat hoc argumento jugulum ſuum peti; tu es fur: ergo ſuſpendendus*, reſpondebit in forma Hunniana, eſt *fallacia conſequentis. At qui leges ita ſanciunt, fures eſſe ſuſpendendos, cum ergo tu ſis furti conuictus, pendebis vtiq;*. Rurſus in forma Hunij reſpondebit, eſt *fallacia cauſæ*. Si pergat judex: *ſententia legitimè in furem lata eſt mandanda executioni: In te vt furem ſententia legitimè lata eſt: mandada*

dãda igitur executioni: perget etiamnunc fur, est paralogiſmus *petitionis principij*, ſeu melius, eſt *Syllogiſmus in ſecunda figura affirmatiuus*, ac proinde nihil concludit, vt nobis itidem reſpondit Hunnius, eaq; reſponſione rurſus in hac Relatione, vt & in Notationib⁹ ſuis perquàm bellè gloriatur. Et hic ſane modus Hunnianus, à furca tuendi fures, priore melior eſt, tum quia ſua veritate magis aut delinire, aut perturbare judicem poteſt; tum quia fur hac ratione nõ ſolum ab Enthymematis & imperfectis cõſequentijs, ſed etiam à perfectiſſimis Syllogiſmis in Barbara facile expedire ſe queat, quod altero illo modo fieri non poteſt; vt plane nullum eſſe dubiũ poſſit, quin dialectica Hunniana furibus magis ſit opportuna, quàm Ieſuitica.

Quinto *ad formam etiam Ieſuiticam ſpectare*, ait Prædicans, *vt aſſerat reſpondenti abſurde tribui petitionem principij*. Fateor. Hoc ipſum enim docet Ariſtoteles formæ dialecticæ magiſter, qui petitionẽ principij explicans ſic ait, *Quando quod non per ſe notum eſt* (atque adeo probatione indiget) *per ſe ipſum aliquis conatur oſtendere, tunc petit quod ex principio eſt.* Arist. lib. 2. Pri. cap. 18. Vides, Hunni, principiũ non peti niſi quãdo quis cõatur oſtendere, ſiue *probare aliquid per ſe ipſum*. Itaq; *in probando*, non in reſpondendo principium peti cõtingit, cum alioqui ſemper reſpondens ſuam cõcluſionem vt certam ſupponat, & ſi quid cum diſtinctione affirmat, eãdem diſtinctionem, quandiu ab opponente non euertitur, jure repetat, vt in mea quoq; Relatione demonſtratum eſt, ſed quid Hunnio cum Ariſtotele, quid Ariſtoteli cum Hunnio? minus certe quam Zenoni cum Epicuro, vel aſino cum lyra.

Sed

Relat.Hunn.f.C.4 Sed ecce, quam pulchrum exemplum petitionis principij, in respondendo à nobis commissæ, afferat Hunnius. Ecquod illud? Hoc nimirum, quòd cum Hunnius in sua thesi probanda defecisset, & extra scopum propositæ disputationis obijceret argumentum contra communionem sub vna specie, de qua nulla quæstio erat, à me repulsam passus est, cum dicerem, eam obiectionem ad præsens institutum nihil prorsus facere, *præterquam quod per se falsum* sit, eiusmodi ecclesiæ consuetudinem scripto Dei verbo vllatenus aduersari.

Sess.6. Et addidi, *probandum incumbere Aduersario, quòd in obiectis locis Deuteronomij, omnes omnino additiones extra scripturam sint penitus prohibitæ: suo autem loco & tempore paratos nos esse, tum de hoc articulo fidei, tum de alijs disputare, sicut nos etiamnum paratos semper inuenient.* In hac responsione, ait Hunnius, *fallaciam petitionis principij* aperte commissam esse. Planissimè, quis neget? quotiescunq; enim aliquam Hunnij argumentationem velut absurdam & à proposito alienam reijcies, toties principium petere censeberis Hunnio, qui potius ipse toties in principijs errat, quoties de petitione principij disputat.

Sexto deinde & illud ex Sessione quadam, tanquã probrum Iesuiticæ formæ obijcit, quod existimemus inductionẽ negatam, nulla contraria instantia infringendam. Innuit videlicet Hunnius responsionem à

Sess.3. nostris datam ad secundum eorum argumentum. Sed rursus aut mentitur Prædicans si responsionem nostrã

Mend·Hunn. probè intellectam accusat, aut certè incurabilem suam in rebus dialecticis inscitiam prodit, si necdum intel-

Relat.part.1,cap.4. lexit. Legat quæso Hunnius, si placet quæ alibi à me hac de re dicta sunt, & erubescat, si potest. Certè luce

clarius

clarius inde intelliget, non inductionem à nostris esse negatam, sed sequelam ex ea male inductam; ac proinde absurdissime ab aduersarijs postulatum, vt contrario exemplo concessa non negata inductio infringeretur.

Septimo accusat formam Iesuiticam Hunnius, quòd in colloquio jusserit quandoq; Prædicantes velut in schola, *discipulos datis solutionibus acquiescere.* Sed inprimis fateor, magis subinde in colloquio opus fuisse Prædicantibus seuero aliquo Præceptore, quàm acri & subtili disputatore, quando tam pueriliter, & friuolè identidem nugabantur. Deinde non jussi sunt simpliciter Prædicantes datis solutionibus acquiescere: Sed hoc duntaxat ab eis iure optimo postulatum est, vt vel acquiescerent datis solutionibus, vel certè eas in forma oppugnarent, quod quando nec moniti quidem fecerunt, merito dicti sunt *mirabiles*, qui nimirum, vt Pueri, semper dicendo nihil dicerent. **Relat. Hunn. fol. c. 4.**

Octauo, *nihil tam fuit*, inquit Prædicans, *Iesuiticæ formæ aduersum, quam testimoniorum Scripturæ sacræ allegatio.* Sed nihil tam aduersum Hunnio, quam veritas, qui si vnquam alias, certè hic splendidè mentitur, vna cum suis Neuburgensibus Symmystis, vt iuxta Hunnianum dogma, *Scapham, scapham* nominem. Non enim *allegatio scripturæ*, sed vana, futilis, absurda, indigesta, & ab omni arte & modo rectæ disputationis aliena scripturarum accumulatio nobis aduersa fuit, quando extra omnem normam & formam Dialecticam scripturas conglobabant, quando scripturis absurdissimè obiectis cursum argumentorum nostrorum mora- **Relat. Hunn. fol. D. 1.** **Hunnius mendax.**

P bantur,

bantur & interrumpebant; quando prætextu scripturarum, toties in suo munere tergiuersabantur, hoc ingratum, hoc aduersum merito nobis fuit Hunni, ideoque etiam iure optimo sæpius à nobis inclamatum, *nihil ad rem, nihil ad formam, responde ad argumentum, in forma, in forma, in forma, quæris effugia, tergiuersaris, versipelles estis, &c.*

Sed probat hoc suum mendacium Hunnius, quinq; alijs mendacijs. Primum, quod *argumenta obiecta scripturæ testimonijs euertere, sit nobis sine forma respondere:* quasi verò vllum nostrorum argumentum euerterint Aduersarij. Deinde scripturæ testimonia subinde breuiter & obiter ad confirmandam responsionem adhibere, id non improbant Iesuitæ, sed quod respondens, vt obiecti sibi argumenti cursum abrumpat, oppositis quibuslibet obiectiunculis, argumentantem cogere velit ad respondendum, id vero prorsus intolerabile, & apertissimum turpissimæ fugæ & tergiuersationis genus est.

Hunius mendax.

Secundum mendacium, *quia hoc Apostolico,* (dicere debebat Hunnius hæretico, vt à me alibi probatū est.) *disputandi modo, per scripturas, in lutum confusionis proculcata est, & in abyssum deterrimarum absurditatum coniecta est illorum absona forma.* Mirum si huius rei probationem aliquis exigat, quandoquidem αὐτὸς ἔφα ille scilicet Prædicans, qui ψευδολογίζεσθαι, quam συλλογίζεσθαι melius nouit. Absurditates autem illæ, quas alio loco memorat Hunnius, eidem suo loco cum fœnore remittentur.

Hunnius mendax. Relat. part. 3. cap. 3.

Hunnius mendax.

Tertium mendacium Hunnij, quia & Catholici

lici *Protocollum oderunt acerbissimè.* Sanè quidem. Nam & ideo etiam, vt illud à se quàm remotissime abijcerent, in lucem palam ediderunt.

Quartum, quia Protocolli *publicationem acerbissimè reformidant.* Imo & tantum fere hoc metu non pereunt. Indicio esse potest, primò, quod Monachij Protocollum prius in lucem editum est, quàm Neoburgi, etsi locis nonnullis turpissimè à Prædicantibus vitiatum. Secundo, quod altera iam editione, magno exemplarium numero, Monachij recusum est, vt illa Prædicantium encomia omnes etiam Italiæ, Hispaniæ, &c. oras penetrent, quandoquidem ad eas fortasse Lauinganæ editioni accessus non patebit. Hunnius mendax

Quintum Hunnij mendacium. Nam ideo etiam *contra Protocollum protestabatur vnus.* Falsùm. Nam de hoc solum in Colloquio protestatio facta est, vt ex Protocollo liquet, quòd in prioribus Sessionibus (vt etiam in posterioribus iuxta leges factum est) à nostris ad calamum dictatum non fuerit, itaque minus omnia, quæ à nostris dicebantur, exactè in Protocollum relata. Interim contra sensum rerum in Protocollo contentarum nulla facta est protestatio. Hunnius mendax Sess. 5.

Iam verò quid contra Protocollum à vobis turpissime deprauatum ipsum testetur Protocollum, ex præfatione Monacensis Protocolli, ac partim ex mea relatione satis ni fallor intelleris. Et bene est, quod Neoburgenses illi Prædicantes in sui Protocolli appendice negare factum minime potuerunt, Relat. part. 3. cap. 6.

tuerunt, etsi bona fide factum persuadere velint, quod credat, qui volet. Ego bona fide eos tam turpiter fidem fefellisse, nunquam credam. Sed hac de re alibi plura.

Hæc ergo sunt, de quibus Iesuiticam formam accusat Hunnius, partim vera quidem, sed non accusanda, nisi Hunnianæ, hoc est peruersæ mentis iudicio, partim accusanda quidem, sed non vera, nisi Hunniana veritate, vtpote verissima mendacia.

CAPVT NONVM.

QVANTAM INIVRIAM AVO suo Luthero inferat Hunnius, dum quasi re bene gesta, formam Dialecticam veterem à se in Colloquio seruatam gloriatur.

EX ijs, quæ dicta sunt hactenus, abunde patet, Hunnium non solum, Iesuiticam, vt vocat, sed vere genuinam ac legitimam disputandi formam, in Colloquio auersatum esse. Et quid quæso, Hunni, frustra fucum facis, quid lupinam sub ouina tegis pelle? cur quod sentis liberè non profaris? cur quod alioqui vobis laudi ducitis, iam velut probrum amoliri studetis? Cur non apertè formam & Iesuiticam & Aristotelicam detestaris? annon Lutheri discipulus es, Hunni? Luteri, inquam, *illius electi Dei organi, Beati Martini Lutheri, sanctæ recordationis,* vt tu, (ne dicam, impudens

Notat. Hun. fol. F.

ca-

canis, vt impudenter optimũ virũ calumniaris) loqueris, ſeu vt ego loquor, *electi organi* diaboli, damnati *Martini Lutheri,* infelicis *recordationis*? An decreta eius tam dilecti parentis aut aui, tam obſeruans filius aut nepos reſcindes? Quid igitur? annon diſertè Lutherus non Ingolſtadienſem, ſed Sorbonicam; non Ieſuiticam, ſed Ariſtotelicam, non nouam, ſed veterem Dialecticam, & dialecticè diſputandi rationem damnauit.

Agnoſce, quæſo te, mi Hunni, illa tui Diui Patris Lutheri pronunciata ex proprijs eius tomis exſcripta. I. *Error eſt dicere, ſine Ariſtotele non fit Theologus.* II. *Imo Theologus non fit, niſi id fiat ſine Ariſtotele.* Anne ergo de Ariſtotele tibi blandieris Hunni? III. *Monſtroſa & hæretica oratio eſt, Theologum non Logicum, eſſe monſtroſum hæreticum.* IV. *Fruſtra fingitur logica fidei.* Quid igitur tibi cum logica in rebus fidei Hunni? V. *Totus Ariſtoteles ad Theologiam, eſt tenebra ad lucem,* mirum quòd non lux ad tenebram. VI. *Bonum erat Eccleſiæ, ſi Theologis natus non fuiſſet Porphyrius, cum ſuis vniuerſalibus.* Quid ergo circa vniuerſalia tam ſapiens ſupra ſibi videbatur Hunnius? VII. *Vſitatiores definitiones Ariſtotelis videntur petere principium.* Optime: habes iam plane Hunni, vnde te defendas, dum nos reſpondentes petitionis principij tam ineptè toties accuſas, quando Lutherus eiuſdem vitij etiam Ariſtotelem definientem damnat.

Luther. Tom. 1. Ihen. lat.

Sed pergit alio loco Lutherus: VIII. *Nec vtendum, nec fruendum eſt ſubtilibus iſtis inuentis, de ſuppoſitione mediata & immediata, in rebus fidei. Sunt enim logomachiæ & Kenophoniæ in Eccleſia periculoſæ, & ſcandalis plenæ.* IX. *Vbi impingit vel forma Syllogiſtica, vel ratio Philoſophica, dicendum eſt ei illud Pauli: Mulier in Eccleſia taceat, &c.* X. Quid mirum ergo, quod

Luth. Tom. 1. VVitenberg in diſput. ſuper verbum caro factum eſt.

formam ſyllogiſticam Prædicantes in Colloquio ſubinde tacere iuſſerũt? Imò potius hoc mirum, quòd ad eam in Colloquio Theologico ſeruandam ſeſe aſtrinxerunt, cũ mulier, hoc eſt forma ſyllogiſtica, in Eccleſia tacere debeat. Sed Lutherus, quia vir eſt, quantũuis turpiter impingat, audacter loqui pergat. Et ſane pergit. X. *Impingit quidem Theologia in Philoſophiæ regulas, ſed ipſa viciſſim magis in Theologiæ regulas.* X I. Mirũ ergo, ſi Prædicãtes non impegerunt in Theologiæ regulas, quando Philoſophiæ & Dialecticæ regulas tàm accuratè ſeruarunt. XI. *Eundum ergo ad aliam Dialecticam & Philoſophiam in articulis fidei, quæ vocatur verbum Dei & fides.* Itaq; verbum Dei, verbum Dei, inflatis buccis ineptè crepare, hoc eſt dialecticè diſputare. Et hæc forſan eſt illa tua antiqua forma, Hunni, quam tantoperè cõmendas? XII. *Rectius ergo ſentimus, ſi dialectica ſeu philoſophia, in ſua ſphæra relictis, diſcamus loqui nouis linguis, in regno fidei, extra omnem Sphæram.*

Iure igitur Hunnius dialecticam in ſua Sphæra relictam, *ſuo loco* (non in Colloquio Theologico) laudat. XIII. *Sorbona mater errorum peſſime definiuit, idem eſſe verum in philoſophia, & Theologia.* Et nonne bella hæc pronunciata Lutheri, & planè κυρίαι δόξαι? Ne verò hæc ſuis corollarijs careant, ecce quam portentoſos genuerint fœtus. *In Theologia*, inquit Lutherus, *verum eſt, verbum eſſe carnem factum, in Philoſophia impoſſibile & abſurdum.* Quis ergo Philoſophiæ magnopere ſtudeat, quæ fidem euerit? Secundo. *Iſte Syllogiſmus, ait, expoſitorius; pater in diuinis generat, pater eſt eſſentia diuina: ergo eſſentia diuina generat. Eſt bonus. Et tamen præmiſſæ ſunt veræ, concluſio falſa, & ita ex vero ſequitur falſum, contra Philoſophiam.*

Tertiò

Tertiò. *Iste Syllogismus cōmunis, omnis essentia diuina est pater: filius est essentia diuina: ergo filius est pater, est bonus. Sed præmissæ sunt veræ, & conclusio falsa, & verū vero hic prorsus nō consonat.* Et quid opus est multis? *Etsi tenendū est*, inquit Lutherus, *quod dicitur, omne verum vero consonat, tamen idem non est verum in diuersis professionibus.* Quo quid potest ab omni recta ratione alienius dici?

Ita igitur, mi Hunni, cum Luthero, *dialectica in sua sphæra relictâ, nouis linguis*, non antiquis illis *dialecticæ veteris*, vt tu ais, *loqui* debuisses, aut potius, quas locutus es, agnoscere. Ita oportebat, disertè & apertè non Iesuiticam, sed Aristotelicam dialecticam damnare. Ita petitionis principij ipsum quoq; Aristotelem arguere. Iam autem tu Lutheri degener discipulus, solam te nouitatem insectari, antiquitatem veteris formæ dialecticæ consectari gloriaris. Sed audi Lutherum Hunni, *Theologus non fit, nisi id fiat sine Aristotele.* Itaq; vel Aristotelicè disputasti in Colloquio, & tunc secundum Lutherum non Theologicè. Aut si non Aristotelice, iam nec antiquam & legitimam formam dialecticam seruasse conuinceris. Hic dum planum aliquod responsum edas, exspectabimus. *Interim vobis ô scholarum Præfecti, qui laudatissimam artem dialecticam profitemini, hanc formam* Prædicanticam *studiosè commendamus in forma, & vt ait ille Comicus comedendam illam, & deridendam propinamus*, vt quæ hactenus de forma dialectica diximus, in Hunnianæ dialecticæ honorem, Hunnij verbis concludam. Relat. Hunn. fol. C. 4.

CA-

CAPVT DECIMVM.

DE PRIMIS SEX PRONVNciatis, quæ velut absurda Catholicis Collocutoribus absurdè tribuit Hunnius.

MVlta Hunnius absurda commemorat, quæ, vt ipse ait, Forma Iesuitica in Colloquio pepererit. Sed nihil tam absurdum, quam quòd Hunnius nulla fere potuit absurda nostris impingere, quæ non vel eius essent mendacia, vel totius Ecclesiæ Catholicæ dogmata. Quod vt manifestum fiat singula nunc ordine examinabimus.

Relat. Hunn. fol. D. E. Primum igitur absurdum refert Hunnius, quod fæmellas olim in veteri Testamento, & pueros ante octauum diem ex hac vita decedentes, habuisse diximus aliud remedium externum, sine quo saluari non potuerint. Quod non modo veteres æquè ac recentiores Theologi docent, tametsi in particulari certò non constet, quale fuerit, vt nec quis Melchisedechi parens; sed etiam ex eo, quisquis absurdus non est, facile colligat, quod alioqui secuturum esset, melioris conditionis fuisse infantes veteris, quam noui Testamenti, quod sine dubio absurdissimum est, vt ipsi quoq; Prædicantes & inprimis Hunnius in sua Relatione fatetur.

Relat. Hunn. fol. D. 3. Id vero conseqens esse, manifestum est. Constat enim, hac ratione dicendum esse, faciliore & cer-

& certiore via, atque adeo sine vlla exceptione omnes omnino infantes (saltem fœmellas) veteris Testamenti fuisse saluatos, cum tamen in nouo Testamento, tam liberalis gratia Dei infantibus non communicetur, vtpote qui absq; remedio externo ordinariè non saluantur, vt ipsemet Hunnius in Colloquio fassus est, quantumuis alioqui Caluinum nonnihil hoc loco redoleret; & patet ex illo S. Ioannis, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ioann. 3.

At in nullis scripturis id remedium traditur. Quid tum? an ideo reijciendum? minimè verò: *Non enim omnia,* inquit Augustinus, *quæ facta sunt, etiam scripta inueniuntur, veruntamen facta esse, ex cæteris documentis probantur. Scriptum est, quando baptizatus sit Apostolus Paulus, & scriptum non est, quando baptizati sint alij Apostoli, veruntamen etiam ipsos baptizatos, intelligere debemus: Quemadmodum scriptum est, quando baptizatæ sunt plebes Ecclesiarum in Hierusalem & Samaria, quando autem baptizatæ sint aliæ plebes gentium, quibus Apostoli Epistolas miserunt, non est vtiq. scriptum, & tamen etiam ipsas baptizatas vtiq. minimè dubitamus, propter illam Domini sententiam, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu Sancto, non intrabit in regnum cælorum.* Ita Augustinus. Pari igitur ratione, tametsi scriptum non sit, quodnam externum remedium fœmellis & masculis ante octauum diem decedentibus in veteri Testamento destinatum fuerit, neutros tamen sine aliquo remedio externo saluatos fuisse, ex certissimis alijs documentis discimus, vt supra declaratum est.

August. Epist. 108. ad Seleu.

Deinde dicat mihi velim Hunnius, an etiam ante Moysen, in lege naturæ, aut etiam tẽpore legis scriptæ, extra Synagogam, infantes omnes absq; vllo remedio

externo saluati sint? Tam absurdus, credo, nõ erit Hunnius, vt asserat; & tamen certe nusquam scriptum reperitur, quodnam fuerit eiusmodi externum remedium. Vel hoc igitur exemplo discat Hunnius, multa credẽda esse, quę scripta non sunt, & simul agnoscat, nihil à Catholicis absurdè, sed à se potius absurdissimè dictũ, omnes infantes fœmellas, & paruulos ante octauum diẽ defunctos, sine vllo externo remedio fuisse saluatos. Quod reipsa nihil aliud est, quam legẽ euangelio præferre, vel potius ex lege euangelium, ex Mose Christum facere, quod tamen Hunnium fecisse, non magnopere mirandum est, cũ ipse Mosaicus sit doctor, cui *Cathedra Moysis est æterna, non temporalis.*

II. *Huic absurditati*, inquit Hunnius, *connexa erat altera, q in nouo Testamento, infantes Christianorum sine baptismo decedẽtes, quantumuis per necessitatis casum inde seclusi damnentur simpliciter.* Sed cum hanc doctrinam absurditatis accusat Hunnius, ipsam quoq; Catholicam Ecclesiam vniuersam, non præsentem modo, sed etiam quæ ante annos plures mille ducẽtos extitit, & in ijs tot sanctos Patres, ipsumq; imprimis sanctum Augustinum, absurditatis damnat, qui Catholicæ huic doctrinæ testimonium luculentissimum præbet, quo non tantum suam priuatam, sed totius quoq, Ecclesiæ sententiam declarat, his verbis: *Noli credere, noli dicere, infantes antequam baptizentur, morte prauentos peruenire posse ad Originalium indulgentiam peccatorum, SI VIS ESSE CATHOLICVS.* Et rursus in eandẽ sententiam alio loco, *Quisquis*, ait, *dixerit quod in Christo viuificabuntur etiam paruuli, qui sine sacramenti eius participatione, de vita exeunt, hic profecto & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam. Vbi propterea*

Augus. lib. 3. de orig. anim. ca. 9.

Augus. Epist. 20. ad Hieron.

cum baptizandis paruulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo omnino viuificari non posse. Ita S. Augustinus, cui, si vel solus esset, infinita Prædicantium turba esset postponenda. Vides igitur Hunni, pronunciatum illud Collocutorum nostræ partis *Catholicum* non absurdum esse? Vides contrariam tuam assertionem *non Catholicam*, sed Hæreticam, & *contra Apostolicam prædicationem* esse? Vides, cum nos absurditatis hac in re accusas, te *totam condemnare Ecclesiam*, etiam illam quæ ante annos plures mille ducentos vixit.

Vident etiam Prædicantes Neoburgenses, sibi suisuè Collegis, non *Iesuiticam* tantū, *& recens excogitatam*, sed *Catholicam fidē oppugnare constitutū fuisse*: Vident, se *contra fidē Catholicam* aliquid *astruere conatos fuisse*: Vidēt, cum hoc de se dici audiunt, nullam in eo sibi iniuriam fieri, quasi hoc *nemo verè Catholicus dixerit, multò minus probauerit vnquam*. Iam enim Catholic⁹ Augustinus hoc dixit, Tanner⁹ Catholicus post alios hoc ex Augustino probauit. Append. Protocol.

Neq; vero ideo *fingimus*, vt fingit Hunnius, *Deum inclementius affectum erga infantes Christianorum noui Testamenti, quam erga infantes Iudæorum*. Hoc enim ex Hunnij pronunciato sequitur, vt paulo ante à me euidenter demonstratum est, minimè vero ex nostra Catholicorū, vt qui nec infantibus quidem veteris Testamenti salutem, sine remedio externo, concedimus.

III. In absurdis numerat Hunnius, quòd Sess. 1. dictum, beatum illū latronē cum Christo crucifixum *martyrio, & baptismo sanguinis* saluatū. Sed etsi de re nulla, tota de nomine modoq; loquendi quæstio sit, nunquam tamen hunc ipsum loquendi modum vllius absurditatis conuincent Prędicantes, etsi rumpātur, & vel propriū iugulum furcę subdant, vt suomet experimento & exemplo Relat. Hunn. fol. D. 31

probent, furciferos quoslibet Martyres non esse. Esto enim, non sit ita tritus & consuetus in scholis, ille de B. Latronis Martyrio loquendi modus, quis tamen prohibuit oro, eum Martyrem appellare, ac Martyrio, sanguinisq; Baptismo saluatum dicere? Certè quidem cum latro in cruce clarissimum Christo testimonium perhibuerit, quis non videt eum optima ratione *Martyrem*, hoc est *testem* veræ in Christum fidei, eius autem tormentum *Martyrium*, seu testimonium posse appellari. Deinde cum in eo tormento & sanguinis effusione, Beatus ille latro plenissimum omnium suorum peccatorum remissionem, non inferiorem illâ, quæ alioquin in baptismo hominibus cōtingere solet, adeptus sit; nihil sanè obstabit, latronem *baptismo sanguinis* saluatum esse affirmare. Nec desunt ex veteribus huius loquendi modi autores & approbatores. Ita enim loquitur S. Cyprianus Martyr, qui cum dixisset, Catechumenos illos, *qui pro Christo sanguinem fuderint, baptismo gloriosissimo, & maximo sanguinis baptismo, de quo domin9 dicebat, habere se aliud baptisma, baptizari, & passione sanctificatos consummari, & diuinæ pollicitationis gratiam consequi*, mox ad hoc confirmādum latronis exemplum adducit. *Declarat*, inquit, *hoc in Euangelio idem Dominus, quando ad latronem in ipsa passione credentem & confitentem locutus, quoad secum futurus sit in Paradiso pollicetur.* Eundem loquendi modum probabilem judicat Augustinus, quando sic ait: *Baptismi vicem aliquando implere passionem, de latrone illo, cui nō baptizato dictum est, hodie mecum eris in Paradiso, non leue documentū idem beatus Cyprianus assumit.* Itaq; tantum abest, vt S. Augustinus hunc modum loquendi damnet, vt potius aperte comprobet. Atq; hæc cum ita circa hanc nominis

Cypria. in Epist. ad Iubaian.

August. lib. 4. con. Donat. Cap. 22.

minis quæstionem scripsissem,&hanc lucubrationem absoluissem ecce præter opinionem in manus veniunt digressiones P. Iacobi Gretseri, calumnijs Hunnianis oppositæ, in quarum prima hanc Pseudoeuangelicorum tam Prædicantium, quàm Poëtarum calumniam, luculentissimè amolitur, eumq; loquendi modum, passim apud Ecclesiasticos scriptores vsitatum esse copiosè demonstrat; adductis pluribus testimonijs non solum S. Cypriani, S. Augustini, sed etiam S. Hieronymi, Athanasij, Eusebij Emeseni, seu Eucherij Lugdunensis, Anselmi, Bonauenturæ, Ludolphi Saxoniensis, Drogonis Episcopi Ostiensis, Iansenij, &c. quin etiam Iuris Canonici: & quod apud Aduersarios maius omnibus est, Vbiquistarum Parentis Ioannis Brentij, Prædicantis Wirtebergensis; cuius testimonium, in gratiam omnium nostrorum Wirtebergensium & Witebergensium Prædicantium hîc describere placuit, vt qui digressiones illas forte non habent, hîc legant. Ita ergo Brentius: *Docet Christus his verbis,* (Hodie mecum eris in Paradiso) *viam & rationem, qua ea supplicia quæ nobis inferuntur, mutari possint in sanctam passionem, & vt vocant M A R T Y R I V M. Latro agit pænitentiam in supplicio suo, & continuò ita judicatur justus & sanctus, vt pronuncietur dignus Paradiso. Itaq; passio eius sic sanctificatur, vt ipse fiat post crucifixionem Christi, primus M A R T Y R Christi.* Ita Brentius, quem si placet, nouo etiam encomio exornare poterunt Pseudoeuangelici Poëtæ.

Brent. homil. 64. in Luc.

Ad rem quod attinet, duplicem ob causam absurdissimum fuit, ad necessitatem baptismi pro infantibus noui Testamenti destruendam, latronis exemplum absq; baptismo saluati producere, primo quia baptismi

præceptũ, tunc nõ dum obligabat, cũ post resurrectio-
Matth. 28. Marc. 16. nẽ primũ ad baptizandas omnes gentes missi sint Apostoli. Altera, q̃a latro in cruce, vt etiamnũ adultus quilibet, ꝑ proprios act' fidei, pœnitentiæ, & charitatis, sine alio externo remedio applicare sibi potuit fructũ passionis Christi, q̃ infãtes nõ possunt. Igitur in eo bis absurdi sũt Prędicãtes, in quo Catholicos absurditatis accusãt.

IIII. Absurdum siue Paradoxum numerat Prædicans,
Relat. Hunn. f. D. 3. quod Catholici, *latronem mortem suam sibi fecisse meritoriam*, dixerunt: Sed & ista Catholica fides est, nullius absurdi culpanda, nisi ab absurdo hæretico, qui si ita placet, etiam Christum vocare absurdum poterit, qui tum ob fidem & pœnitentiam, tum ob insignem confessionem & pœnitentiam in cruce, latroni Paradisum pro præmio designauit. *Hodie* inquit, *mecum eris in Paradiso. Talis* inquit S. Augustinus, *latro fuit ille, qui in Euangelio crucifixus,*
Luc. 23. *cũ Saluatore clamasse dicitur: Memento mei Domine, cũ veneris in regnũ tuum. Attendite ergo charissimi, & videte, q̃d fidelis obinet,*
August. serm. 163. de tem. *q̃d MERETVR? Regnũ Saluatoris latro poscit in cruce, & dum pœnæ multitudinẽ patitur, ad PRÆMIA æterna perducitur. &c.* Vides Hunni, in latrone meritum, audis præmium?

V. Absurdũ, quòd *dictũ Christi de fermento Pharisæorum cauẽdo, non de doctrina, sed de moribus intelligendum* diximus. Sed
Relat. Hunn. f. D. 3. hoc non in absurdis Iesuiticis, sed in mendacijs Hunnianis numerandum est. Nunquam enim absolutè & indeterminatè negatum est, de doctrina esse intelli-
Hunn. mend. gendum, sed hoc duntaxat affirmatum, non esse intelligendum de doctrina, qua Pharisæi *ex cathedra cum publica authoritate* quippiam decernerent. Ita enim habent verba responsionis ad hanc obiectionem allatæ. *Ad*
Sess. 2. *secundum respondeo: Christus iussit, vt Pharisæi docentes ex cathedra Moysis audirentur, fatemur etiam iussisse, vt cauerentur, quo-*

ad mores, non quoad doctrinam, QVA DOCEBANT EX CATHEDRA. Sed quid mirum, quod Hunnius absens de absentibus mentiri ausus est, cum idipsum in eadem re Iacobus Hailbronner, in ipso Colloquio presens de præsentibus fecerit, de quo à me alibi dictũ est. Parte. 1. Relat. C. 3.

VI. Colloquutorem Catholicum *conuictum* (in ea re) *falsitatis*, inqt Prædicans, *mendaciũ mendacio palliaturũ, hunc prodigiosissimæ absurditatis peperisse abortum: intelligendum esse dictum Christi de doctrina Pharisæorum priuata, non de publica, in qua non errauerint*, cum tamen passim falsam suam doctrinam, *in templo & in omnibus Synagogis palam & publice contra Christum propugnârint*. Sed nostrum vllius falsitatis in suo illo affirmato conuictum, Hunniana etiam veritas est. Quomodo enim aliquis falsitatis conuinci in ea affirmatione possit, quam nunquam ipse posuit? Itaq; non jam Hunni *mendacium mendacio palliasti*, sed illustrasti. Deinde dictum illud, Pharisæos *ex cathedra* docentes quando nimirum aliquid cum publica authoritate, & summa potestate judiciaria, definiebant, errare non potuisse, nõ tam Catholicorũ dictum est, quam ipsi⁹ Christi, apertè precipientis, *super cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi: OMNIA ergo QVÆCVNQVE dixerint vobis, seruate & facite, secundum opera verò eorum nolite facere.* Sed errarunt *publicè docendo*, ait Hunnius. Esto, at non errarunt tamẽ in doctrina illa *publica*, qua vt sum̃i Magistrat⁹ in causa quapiã religionis dubia, aliqd vniuerso populo obseruãdũ prescribebãt, q solũ Catholici asseruerant. Sed absurdus Predicans, verbis absurdo ludẽdo, fucũ imperitis facere conatur, quasi verò à nobis vnquã affirmatũ sit, Doctores seu noui, seu veteris Testamenti, nõ posse, aut nõ potuisse falso quippiam in aliquo publico loco & cõuẽtu hominum docere, etiam priuata autoritate.

Relat. Hunn. f. D. 3. (margin)

Hunn. mend. (margin)

Matth. 23. (margin)

CA-

CAPVT VNDECIMVM.

NIHIL A CATHOLICIS DE Moysis & Aaronis sacerdotio, atq; permissione Aaronis circa cultum idololatricum absurdè dictum, vt calumniantur Prædicantes.

EX tertia Sessione duo absurda circa Moysen & Aaronem nostris imponit Hunnius. Primum, quod nos septimo loco numeramus, *Moysen, non Aaronem, fuisse summum Sacerdotem.* Sed hæc quoq; propositio, vt hic nude legenti proponitur ab Hunnio, non est nostrum affirmatum, sed Hunnij mendacium. Sępius enim dictum est, Aaronem dici, & fuisse *summum Sacerdotem, potestate ordinaria, & cum successione,* etsi potestate extraordinaria maior Aarone sacerdos fuerit Moyses, vtpote qui & Aaronem consecrauit, & in eius consecratione sacrificauit, & de quo tàm apertè in Psalmis dicitur: *Moyses & Aaron in sacerdotibus eius.* Vbi non solum pari gradu Sacerdotij, cum Aarone ponitur Moyses; sed & Aaroni Moyses præponitur. Quod si posteriore hoc sensu dictum illud nostrum in absurdis ponit Hunnius, nę ille non modo Dauidem Prophetam, sed & sanctos Patres absurditatis accusare necesse habet, quandoquidem etiam isti Moysen apertè sacerdotem propriè fuisse asserunt, simulq; Aaroni præferunt, vt infra suo loco ostendemus,

Leuit. 8. Psalm. 88.

Quando

quando contrarium Hunnij pronunciatum in absurdis numerabim⁹: Idq; eò maiore jure, quò minus probat Hunnius, nostrum pronunciatum absurdum esse. Quomodo enim probat? planè fortiter. Quia in epistola ad Hebræos *non Moyses, sed Aaron introducitur pontifex.* Et nonne firma hæc probatio? Imò si Hunnio credimus *euidens*, qui eadem probandi forma probare potuisset, nec Eleazarum quidem Aaronis successorem fuisse Pontificem, qa in Epistola ad Hebræos non Eleazarus, *sed Aaron introducitur Pontifex.* Sed facessat hæc cæci Prædicantis euidens probatio.

Alterum absurdum, octauum à primo refert Hunnius istud: *Ea quæ Aaron legitur fecisse circa cultum Idololatricum vituli permissiuè duntaxat intelligenda esse.* Sed nec verba, nec sententiam nostram benè refert Prædicans. Duplex solutio à nostris in Colloquio ad obiectionem illam peccati ab Aarone commissi, circa eiusmodi Idololatriam, data est, vtraq; talis, quæ à Prædicantibus nec refutata fuit, nec refutari vnquam poterit *in omnem sempiternitatem.* Prima Aaronem, cum hoc faceret, non fuisse simpliciter summum sacerdotē, id quod verissimum esse, patet non solum ex dictis, sed Exod. 40. Leuit. 8. etiam quia Moses Aaronem primum, post illud scelus Idololatriæ perpetratum, summi sacerdotij dignitate initiauit, & consecrauit, vt euidens est ex Scriptura. Quæ solutio firmissima, & solidissima est.

Altera, Aaronem non fuisse vllo modo autorem illius Idolomaniꝗ, nec ex animi sui sententia quicquam, imo nec per seipsum plæraq; fecisse, sed tantum timore mortis victum, tumultuanti & insanienti populo ad tempus cessisse, atque adeo concessisse, & permisisse

eiusmodi cultum Idololatricum. Tantum abesse, vt quicquam ipse ex animi sui sentẽtia, quod ad promouendum cultum illum faceret, jusserit, aut *definierit*, atq; adeo *in definiendo* errarit.

Et hanc q̃dem responsionem Prædicantes in absurditatib⁹ numerãt, sed nos ipsos in absurdis. Tantũ enim abest, vt vllius absurditatis cõuinci possit, vt & scripturæ, sanctis Patribus, ipsorumq; Aduersariorũ cõmentarijs maximè sit consentanea, contraria vero assertio, q̃ videlicet, vt asserebant Prædicantes, Aaron populo auctor fuerit Idololatriæ, & scripturæ, & Patribus, & ipsis
Exod. 32. quoq; Aduersariorum cõmentarijs, aperte repugnet.

Primò enim ad scripturã quod attinet, hoc conuincitur statim ex initio illius capitis, quando legimus: *Videns autem popul⁹, quod moram faceret descendendi de monte Moses, aduersus Aaron dixit, surge fac nobis Deos, qui nos præcedant. Mosi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus, quid acciderit.* Vides hic primo populum impatientem moræ, *aduersus Aaronem*, vel vt significantius habet textus Hebraicus, Al Aharon, *super Aaronem*, insurrexisse, quasi eũ scilicet, velut superior statim oppressurus sit, nî suæ postulationi consentiat. Vides deinde, populũ *prius*, quã Aaronem de Idololatria instituenda cogitasse. Vides tertio, populũ non accessisse tantũ ad Aaronem, eius in dubio sententiæ exquirendæ causa, sed *præjudicatæ* à se opinionis approbationem ab Aarone armatis precibus extorquendi. Vnde etiam Hebræi (etsi forsitan falsò) asserunt, Hur, quem alioquì Moyses Aaroni vicariæ Administrationis socium adjunxerat, jam ante à populo fuisse interemptum: vt quem destinato facinori non esse consensurum intelligerent.

Secun-

Secundo idipsum colligere licet ex illis verbis immediatè sequentibus: *Dixitq; ad eos Aaron: Tollite inaures aureas de vxorum, filiorumq; & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me.* Ex quibus verbis colligitur. I. Aaronem non sponte, sed timore mortis postulata populi, quamuis non ex animo assentientem, admisisse, vt etiam in eundem locum notauit Lyranus. II. Colligitur, vsqueadeo Aaronem inuitum ad Idololatrici sceleris communionem pertractum esse, vt ei etiam impediendo artificiose, etsi non satis fortiter, obsisteret, vt optimè post alios aduertit idem Lyranus. *Credebat enim,* inquit, *Aaron, quòd Vxores, filij & filiæ grauiter ferrent, si acciperentur eorum ornamenta. Et sic ex hoc, & ex cupiditate Iudæorum credebat, impedire conatum populi, vel saltem retardare, vsq; ad aduentum Moysis qui populum reprimeret.* Idem ante Lyranum notauit vtraq; glossa, in eundem locum. Interlinearis quidem his verbis: *Non est ausus* (Aaron) *resistere, quia sciebat populum pronum ad occidendum. Rem difficilem præcipit, vt ab intentione reuocet.* Ac in eundem sensum glossa ordinaria: *Intelligitur*, inquit, *Aaron difficilia præcipere* (non absoluto præcepto, sed hypothetico, si quidem à scelere desistere nolint) *vt hoc modo eos ab illa intentione reuocaret.*

Lyran. in Exod. 32.

Glos. interl. Exo. 32.

Glos. ordin. in Exod. 32.

Nihil ergo aduersarios iuuant verba illa, quæ in latina vulgata editione habentur: *fecitq; populus quæ jusserat,* (Aaron) *deferens inaures ad Aaron.* Non enim alio refertur hęc jussio Aaronis in scriptura, quam ad conferendas inaures &c. Vt ex textu euidens est. Nec ad prouehendum, sed ad impediendum cultum Idololatricum spectabat, vt ex dictis liquet.

Tertiò id colligi poteſt ex illis verbis: *Quod cum vidiſſet Aaron, ædificauit altare coram eo* quod etiam ad retardandum inſolentis populi impetum factum eſſe, notauit Lyranus, aſſerens, id ſpectaſſe *ad retardandam immolationem, quia* (alias) *ſtatim ſine altari immolaſſent.*

Quarto id etiam colligere licet, ex illis ipſis verbis, quæ tamen Aduerſarij maximè pro ſua opinione vrgebant, quibus nimirum Aaron voce præconis proclamaſſe dicitur: *Cras ſolennitas Domini eſt. Quod dixit,* vt cum eodem Lyrano loquar, *ad retardandam immolationem, ſi fortè interim veniret Moyſes, & impediret eam,* ſi vel vnico ſaltem die ſcelus differretur. Neq; refert, quod vox *præconis* non ſit in Hebræo, vt ineptè obiecit Prædicans, nam I. Neq; contrarium eſt in Hebræo. II. Eadem tamen eſt in græca LXX. interpretum, quos Prophetico ſpiritu multa explicatius tradidiſſe, quā in Hebræo inueniantur, notarunt ſancti Patres. III. Eſt in vulgata editione latina, cui vt Hebraicam ſimpliciter præferamus, nunquam efficiet cum ſua Moſaica Cathedra Hunnius. IIII. Eſt in ipſa verſione germanica Lutheri, quæ ita habet, vnd er ließ außruffen. V. Siue per ſe, ſiue per præconem exclamarit Aaron, conſtat tamen hoc ab eo ex animi ſui ſententia, ad promouendum Idololatricū cultum nequaquam eſſe proclamatum, ſed potius ad retardandum, vt ſupra dixi, hoc nimirum ſenſu: quandoquidem ita vultis, neq; veſtro ego furori contraire omni ex parte poſſum, ſaltem hodie tantum crimen ne perpetretis, ſed vel per vnum diem in craſtinum differte. Vnde manifeſtè patet, nihil ab Aarone definitum eſſe, quod ad eiuſmodi cultus approbationem ſpectaret.

Quin-

Quinto id etiam colligitur ex illis verbis, quibus Deus ob perpetratum ſcelus, non Aaronem præcipue, ſed ipſum populum culpauit, *Vade*, inquit ad Moyſen, *deſcende, peccauit populus tuus &c. receſſerunt cito de via quam oſtendiſti eis, feceruntq́; ſibi vitulum. &c. Cerno, quod populus iſte duræ ceruicis ſit.*

Sexto id colligitur quoq; ex eo, quòd Deus iræ ſuę jacula non in Aaronem nominatim, ſed in vniuerſum populum contorſit. *Dimitte me*, inquit, *vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos,*

Septimo id apertè etiam patet ex Aaronis excuſatione, quam certè nequaquam falſam, etſi inanem irato Moyſi prætexuit. *Ne indignetur* (inquit Aaron) *Dominus meus, tu enim noſti populum iſtum, quod pronus ſit ad malum. Dixerunt mihi, fac nobis Deos, qui nos præcedant &c.* Et rectè tamen nihilominus Moyſes culpam perpetrati ſceleris in Aaronem confert, quia ſcilicet eius tanquam ſuperioris fuiſſet, etiam cum vitæ ſuæ periculo ferocienti populo reſiſtere. Vnde etiam non immerito ad Aaronem dicit Moyſes: *Quid tibi fecit hic populus vt induceret ſuper eum peccatum maximum?* Induxiſſe ſcilicet dicitur Aaron peccatum ſuper populum, quia cum efficaciter obſiſtere debebat, ceſſit & permiſit: eo modo, quo Parentes dici poſſunt inducere peccata ſuper filios, dum eis ſæua conniuentia peccata indulgent.

Octauo demum id colligitur ex pœna, quam Moyſes de hoc ſcelere, cauſa cognitâ, ſumpſit. Non enim in Aaronem armatus eſt furor eius, ſed in populum, vtiq; tanquam autorem & incentorem ſceleris. *Ponat*, inquit, *vir gladium ſuper femur ſuum, ite & redite de porta vſq; ad portam per medium caſtrorum, & occidat vnusquiſq; fratrem*

& amicum & proximum suum. Feceruntq; filij Leui juxta sermonem Moysis, cecideruntq; in die illa quasi triginta tria millia hominum. Mirum profectò, si populus, vt dicebat Prædicans, tantum consilij causa Aaronem accessit, *rogaturus, vt in diuturna illa Moysis absentia cultum aliquem constitueret, quo diutius carere non possent.* Mirum & omni paradoxo mirabilius, si *Aaron Pontifex autor & suasor fuit illius Idololatriæ*, vt ibidem dicebat ineptus Prædicans, & tamen impune tantum facinus tulit, quod populus tanto suo malo luere debuit.

Accedit etiam hoc indicium non leue, quod Leuitæ ab eo scelere immunes fuerunt, certe non futuri, si ab Aarone cultum hunc præscriptum aut decretum fuisse putassent. Patet ergo verissimum esse, quod à me in Colloquio dictum est, *ex toto capitis illius contextu patere, populum, non Aaronem populo autorem fuisse Idololatriæ.* Et adhuc tamen Prædicantes hoc dictum in absurdis audent numerare.

Sess. 2.

Ad Sanctos Patres quod attinet, primo loco memorandus occurrit S. Augustinus, qui idipsum breuiter quidem, sed neruosè declarat. *Aaron,* inquit, *erranti populo ad idolum fabricandum, non consensit inductus, sed cessit obstrictus.*

August. lib. 14. de ciuit. Dei. Cap. 11.

II. Idem docet sanctus Ambrosius his verbis: *Vbi diuinum conticuit oraculum, peccatum irrepsit, vt peterent* (Iudæi) *sibi fieri DEOS. Sic enim dicunt: Surge & fac nobis DEOS, qui præcedant nos. Coactus ergo Aaron petit annulos eorum, & inaures Mulierum, quæ tradita in ignem misit, & conflatum est vituli caput. Neq; excusare tantum sacerdotem possumus, neq; condemnare audemus.*

Ambros. in Exod. Cap. 32.

III. San-

III. Sanctus Chrysostomus idem apertè docet; *Et post tot* inquit, *beneficia dixerunt* (Iudæi) *Aaroni: da nobis Deos, qui nos præcedant. Moysi enim illi, qui nos eduxit è terra Ægypti, nescimus quid acciderit. Feceruntq́; vim magnam Aaroni. Ille vt vidit eos duri cordis, & in circumcisi: dicit ipsis, Tollite inaures vestras, & mittite in ignem, & si quid ascendit, hoc Deus sit, & ascendit bubulum caput.* Chrys. Homil. de Euang. Nuptiæ factæ.

IIII. Idipsum docet vtraq; glossa, quam superius recitauimus.

Ex aduersarijs placet vnius tantum Iosiæ Simleri, qui in eum locum commentarios scripsit, testimonium proferre. *Has*, inquit (inaures.) *Aaron petijsse creditur hoc consilio, vt populum à proposito auerteret. Arbitrabatur enim, mulieres natura tenaciores ægrè daturas aurum, ægrius passuras, se vna cum liberis suis delitijs & ornamentis spoliari.* Et infra dicit: *Aaronem rectè detestatum populi furorem &c.* Et rursus: *Verisimile est*, inquit, *Aaronem anxie suo animo cogitasse, si hæc non concedis, populus te occidet, mortuo autem te, nihilo res melius habebunt, ducem creabunt, qui prorsus eorum libidini obtemperet.* Simler. in Ex. 32.

Satis ergo probatum est, id quod in absurdis numerant Prædicantes, non solum scripturæ & sanctorum Patrum, sed ipsorum quoq; Aduersariorum esse pronunciatum, contrariam autem Prædicantium assertionem, qua identidem, tantum non quasi jam dictâ causâ, conclamabant, Aaronem, non, populum fuisse *Autorem* Idololatriæ: Aaronem *definiuisse*, idq; ex claris & manifestis verbis scripturæ colligi: contrarium esse *falsum, absurdum, paradoxum* &c. scripturæ, sanctis Patribus, & ipsis quoq; Aduersarijs esse contrarium.

Quod

Quod eò quoq; prolixius ostendere placuit, quod scirem, Aduersarios in Colloquio quasi conspirantibus vocibus, in hanc Catholicorum responsionem inuectos fuisse. Quod si cum sancto Ambrosio etiam dixissemus: *Neq; excusare tantum sacerdotem possumus, neq; condemnare audemus*, quam immensos confictæ absurditatis boatus in nos immurmurasset Saxonicum *caput*, vtinam cum illo bubulo Aaronis in cineres tantum redigendum, & non etiam sempiterno igne nunquam incinerandum.

Neq; est dissimulanda fraus Hunnij, qui huius nostræ responsionis vim totam in eo ponere videtur, quod Aaron nihil plane eorum, quæ cultum Idololatricum concernebant, fecerit, sed solum permiserit, quod falsum est. Sæpius enim diximus. Esto fecerit quædam ipse, & proprijs etiam manibus finxerit & conflarit vitulum, proprijs manibus ædificârit altare, suomet ore clamarit, *cras solennitas Domini est*: fuerit, inquam, Aaron, si ita volunt ineptire, simul & summus sacerdos, & aurifaber, & cæmentarius, & præco: non tamen ideo proprio motu, & ex propria animi sententia quicquam fecerit, ad promouendum cultum Idololatricum, nõ ideo fuerit author, multo minimè vero idcirco definiuerit quicquã ad Idololatrici cultus approbationem spectans, cum, vt ex toto processu eius negotij patet, satis populo constaret, ab Aarone suam machinationem minimè approbari. Interim rectiusne à nobis dictum fuerit, authorem proprijs manibus non conflasse vitulum, neq; ædificasse altare, neq; nisi præconis voce, vt textus latinus habet, clamasse; sed populi importunitate victum cessisse tantũ, & con-

&conceſſiſſe iniquam eiuſmodi poſtulationem, licet quoad circumſtantias aliquas, quibus à patrando ſcelere populus aut auocaretur, aut retardaretur, quædam etiam diſpoſuerit, an, quod Prædicantes ſubinde non obſcurè ſignificabant, Aaronem ipſum feciſſe omnia, atque adeo aurifabrum, Cæmentarium, Præconem, & ſummum Pontificem in eo negotio egiſſe, lector judicet. Sed jam nonum Hunnij abſurdum videamus.

CAPVT DVODECIMVM.

DE TRIBVS ALIIS ABSVRDItatibus, quas Catholicis colloquutoribus imponit abſurdus Prædicans.

IAM quarta etiam Seſſio, inquit Hunnius, *non fuit expers abſurditatis ex parte Ieſuitica, dum clariſſima teſtimonia Deuteronomij 4. 5. 12. ſic eludere conatus eſt Ieſuita, quod ea verba adſtringant quidem populum, licere vero nihilominus magiſtratibus, & ſuperioribus* (publica ſcilicet authoritate) *quandoq; ad verbum ſcriptum aliquid addere; etiam in cultu, dummodo non aliquid contrarium. Nimirum hac ratione voluit eximere Ieſuita ſacerdotes, ne ſint adſtricti ad hanc Dei vocem, non addes quicquam, nec detrahes.* Sed *nimirum hac ratione voluit* Prædicans mendacio fucare noſtram ſententiam, vt abſurda appareret, cum nunquam in mentem nobis venerit, ſacerdotes *eximere* ab ei⁹ præcepti obligatione, ſed ſæpius dixerimus, eos quoq; eatenus fuiſſe aſtrictos ad hanc Dei vocem, *non addes*, quatenus eis nihil contrarium addere licebat. Aſſertionem vero illã noſtram abſurdam non eſſe, non ſolum ex eo ſatis patet,

quod eam Prædicantes, licet summis viribus & collatis operis impugnârint, nunquam tamen expugnarint; imo etiam à nostra parte, ad depugnandum cominus hac de re, æquissimis conditionibus prouocati, manus conserere ausi non sunt; sed ex hoc etiam, quod Hunnius, neglectis omnibus illis argumentis, à se suoq; collega in Colloquio propositis, nouo eam argumento nunc adoritur. Et quali? Planè vitreo, si non ferreo.

Sed audiamus. Nam *sic argumentamur*, inquit Hunnius: *Quibus principaliter, & ex officij ratione, cura & administratio diuini cultus commissa est, ad hos quàm maximè pertinent præcepta diuinum cultum concernentia. Sacerdotibus principaliter, & ex ratione sacerdotalis officij, commissa erat sacrorum cultuum administratio: Ergo ad hos quam maximè pertinent præcepta diuinum cultum concernentia, & inter ea, præceptum hoc quoq; de non addendo quicquam, ad cultum per Mosen præscriptum*: etiamsi quod additur, alioqui cæteris præceptis Dei contrarium non sit. Sed in hoc argumento dupliciter hallucinatur miser Hunnius. Primo, quod conclusio prout ab eo indefinitè proposita est, à nobis negata nõ est. Deinde quod non videt se ludere amphibologia termini *spectare*. Dupliciter enim ad aliquem spectare lex quæpiam potest. Primo vt per eum ipsum executioni mandanda. Secundo vt proponenda, declaranda, & inculcanda alijs, quibus ea obseruanda proponitur. Iam vero spectant quidem omnia præcepta diuinum cultum concernentia maximè ad sacerdotes & magistratus, vel vt ab illis ipsis executioni mãdanda, vel vt proponenda, inculcanda alijs. &c. Attamen non omnia præcepta spectãt ad sacerdotes, aut Magistrat⁹, tanquã ab ijs ipsis executioni mandanda. Alioq enim

pari

pari ratione probari posset, ad sacerdotes olim maximè spectasse præceptũ illud concernens diuinũ cultũ, vt *decimæ* & *primitiæ* soluantur, Deoq; offerantur: Sic enim argumentamur. *Quibus principaliter & ex officio cura diuini cultus commissa est, ad hos quam maximè pertinent præcepta diuinũ cultũ concernentia: Sacerdotibus principaliter & ex ratione sacerdotalis officij commissa erat sacrorũ cultuũ administratio: ergo ad hos quam maximè ꝑtinent præcepta diuinũ cultum concernentia, & inter ea præceptum hoc quoq;* de soluendis ac offerendis decimis ac primitijs. &c. Leuit. 27.

Quinimo eandẽ argumentandi rationẽ applicando ad Politiam temporalẽ, pari modo concludere liceret, Magistratibus integrum nõ esse suasmet leges mutare, quas alioq; priuato cuilibet immutare fas esse nõ cõcedũt: *Quib⁹ principaliter & ex officio cura* tẽporalis Politiæ *cõmissa est, ad hos quàm maximè pertinent præcepta* temporalem Politiam *cõcernentia: Magistratib⁹* ciuilibus *principaliter, & ex ratione sui officij commissa est* politiæ temporalis *administratio: ergo ad hos quàm maxime pertinent præcepta*, temporalem politiam cõcernentia, *& inter ea præceptũ hoc quoq;*, ne cuiquam latas à Magistratibus leges imutare, aut ijs quicquã addere vel detrahere fas sit. Quid tibi videtur Hunni? Ad hoc argumentum quid responderes? Idipsum nimirum à me tibi responsum habeto.

X. In absurdis numerat Hunnius hoc Catholicæ partis pronunciatũ. *Quàm parum ꝓbari potest, ꝗ 4. Decalogi præceptũ cætera præcepta contineat: tam parum probari posse ꝗ verbum Dei scriptũ expressè cõtineat omnia dogmata fidei & cultus.* Agnosco planè & recipio Catholicam veritatẽ, quæ in ipso Colloquio eò luculentius eluxit, quo operosius à prædicãtibus impugnata est, nec tamẽ vnquam expugnata. Nullũ igitur hic absurdũ, nisi absurdis. Sess. 5.

XI. Velut absurdum nobis tribuit Hunnius, quasi dixerimus locum Deuteronomij 12. *Quod ego præcipio tibi, hoc tantum facito, nec addes, nec detrahes quicquam.* *Item, Obserua & audi omnia, quæ ego tibi præcipio, esse solummodo referendum ad ea præcepta, quæ tum in præsenti tradebantur, quia verbum illud præcipio, sit temporis præsentis.* Sed & hîc in Hun-

Hunn. mend. nio synceritatem desiderare cogor. Falsum enim est. dictum à nobis esse verba illa modo citata non posse *referri* ad alia præcepta. Sed hoc solummodo dictum est, isthic Deum aperte, non loqui de quibuscunq; præceptis. Ita enim habent in Protocollo verba mea; *secundò notandum, quod illis verbis, hoc tantum, Dominus Deus*

Sess. 4. *apertè loquatur, solum de præceptis & cæremonijs, eo & superioribus capitibus traditis.* Posterior autem locus in Protocollo sic habet, *Vbi pari ratione, Deus de præceptis tantum, quæ*

Sess. 5. *tunc tradebat, loquebatur, nō de omnibus omnino præceptis scriptæ legis. Signanter enim dicit, obserua & audi omnia, quæ ego (jam scilicet) præcipio tibi, non autem quæcunq; præcepi, præcepero &c.* Idq; non absurdè dictum, tum ex illis verbis præsentis temporis, tum ex eo quod non omnia præcepta tunc tradita erant, tum ex eo, quod Prædicantes illam responsionem refutare non potuerunt, tum ex similibus locis scripturæ Mosaicæ abunde colligitur, in quibus sæpissime Deus, se de præceptis, quæ tunc & pro præsenti tradebat, loqui, aperte significat.

Exod. 34. Talia V. G. sunt ista: Exod. 34. *obserua cuncta quæ H O D I E mandaui tibi.* Deuteronomij 6. *Eruntq; verba*

Deuter. 6. *hæc quæ ego tibi præcipio H O D I E, in corde tuo.* Deuterono-

Deuter. 7. mij septimo. *Custodi ergo præcepta & cæremonias atq; judi-*

Deuter. 8. *cia, quæ ego mando tibi hodie.* Deuteronomij octauo, *Omne mandatum, quod ego tibi præcipio Hodie, caue diligenter vt facias.*

Et

Et ibidem *Obserua & caue, ne quando obliuiscaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius, atq; judicia & caremonias, quas ego tibi præcipio hodie. Deuteronomij 11. Vt custodiatis vniuersa mandata illius, quæ ego hodiè præcipio vobis.* Ibidem, *si ergò obedieritis mandatis meis, quæ ego hodie præcipio vobis.* Ibidem, *si obedieritis mandatis Domini Dei nostri, quæ ego hodie præcipio vobis.* Ibidem. *Videte ergo, vt impleatis caremonias atq; judicia, quæ ego hodie ponam in conspectu vestro.* Deuteronomij decimo tertio. *Custodiens omnia præcepta eius, quæ ego præcipio tibi hodie.* Deuteronomij. 15. *Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & custodieris vniuersa quæ jussit, & quæ hodie præcipio tibi.* Et plura in hanc formam passim in Deuteronomio habentur. Quid ergo absurdi est, dicere, Deum verbis illis capitis 12. eiusdem Deuteronomij, *Obserua & audi omnia, quæ ego præcipio tibi*, apertè quidem solummodo loqui de præceptis, quæ tunc tradebantur, cum Deus ipse ante & post illum Deuteronomij locum, eiusmodi loca toties restringat ad præcepta, quæ *hodie* ac in præsenti tradebantur. Eat nunc Hunnius & absurdum vocet Deum ipsum, qui eiusmodi nobis explicationis autor est. Interim ea verba, per quandam, etiam *consequentiæ* rationem, ad alia quoq; præcepta *referri* & accomodari posse, non nego, nec est negatum vnquam. *En* igitur *tibi*, Hunni, *Magistralem interpretationem, quam si totius antiquitatis libros excutias nusquam* refutare *queas*.

Deuter. 11.

Deuter. 13.

Deuter. 15.

XII. *In octauo consessu Tannerus*, inquit Hunnius, *hanc tetram & in autorem scripturæ spiritum sanctum enormiter ignominiosam vocem euomuit. Nulla, Nulla, Nulla vnquam fuit Hæresis, quæ seposita infallibili authoritate Ecclesiæ, ex sola scriptura sufficienter refutari potuerit.* Quod etiam vocat Hunnius, *portentum abominabile.* Relat. Hunn. E. 1.

Sed circumſpectius incede calumniator. Pronunciatum enim illud, quod tantopere calumniaris, non tantum meum, ſed & Eccleſiæ Catholicæ, nec huius tãtum, ſed tuum quoq; pronunciatum eſt. Exclamabis, ô impudentia. Sed ego viciſſim, ô ſtoliditas. Audi ergo me, & acquieſces. Sufficienter ex ſcriptura ſacra non poteſt refutari vlla hæreſis, niſi prius reipſa ac infallibiliter conſtet, aliquam ſcripturam verè ſacram, hoc eſt, à Deo inſpiratam, & Dei verbum eſſe: Atq ſepoſita infallibili authoritate Eccleſiæ, ex ſola ſcriptura ſacra, non poteſt infallibiliter conſtare, aliquam ſcripturam vere ſacram, hoc eſt à Deo inſpiratam & Dei verbum eſſe; Ergo ſepoſita infallibili authoritate Eccleſiæ, non poteſt vlla hæreſis ſufficienter ex ſola ſcriptura refutari: Quam etiam dicti mei rationem in ipſo Colloquio tradidi.

Et quid tibi videtur de hoc argumento, quam in eo propoſitionem negabis? An non omnes vel in Colloquio; vel in tuamet Relatione conceſſiſti? Maiorem quidem, dum fateris, ex ſcriptura non poſſe refutari hæreticos ſufficienter, niſi eos, apud quos *præſuppoſita eſt ſcripturæ ſacroſancta authoritas*. Id quod etiam alioqui per ſe euidens eſt, quam diu enim alioqui infallibiliter non conſtat, ſcripturam aliquam eſſe canonicam & verbum Dei, tam diu certe non magis ex ſcriptura, quã ex Liuio aut Cicerone refutari hæreticus poterit. Minorem autẽ illam propoſitionem aperte quoq; in Colloquio conceſſiſti, dum ſæpius fateri coactus fuiſti, canonem ſcripturæ non ex ſola ſcriptura, ſed ex Eccleſiæ teſtificatione cognoſci. An forte concluſionem rurſus voles diſtinguere, vt etiam in Colloquio inaniter facie-

bas

bas; nimirũ vt locũ habeat contra eos tantũ hęreticos, qui ſcripturæ authoritatem nõ recipiunt, non autẽ cõtra eos, apud quos *præſuppoſita* eſt ſcripturæ ſacræ authoritas. Sed contra hanc tuam diſtinctionẽ hoc ipſum argumentũ pugnat, eamq; penitus expugnat, quando & maior, & minor ꝓpoſitio veriſſima eſt, de quibuscunq; tandẽ hęreticis ſit ſermo, vt etiã in Colloquio dictũ eſt.

Accedit quod illa tua diſtinctio ſeipſam jugulat. Dicere enim eos hæreticos, apud quos *præſuppoſita* eſt (per mediũ aliquod infallibile) ſcripturæ ſacræ authoritas, ſufficiẽter ex ſola ſcriptura, ſepoſita infallibili Eccleſiæ authoritate, refutari poſſe, nihil aliud eſt, quam dicere *ſuppoſita* infallibili Eccleſiæ authoritate, per quam de ſcriptura infallibiliter conſtat, poſſe ex ſola ſcriptura, *ſepoſita* quoq; infallibili Eccleſiæ authoritate, refutari. Quæ eſt, vt dixi, aperta implicatio contradictionis. Sed cæcus Prædicans cæca calumniandi libidine abreptus neſcit, quid, aut de quo loquatur, eiuſq; parum intereſt, quem feriat, modo calumnietur.

Sicut etiam ineptiſſimè in Colloquio identidem aſſeruit, me de hæreticis loqui apud quos ſcripturę authoritas nõ eſſet præſuppoſita, cum tamen ego toties diſertè de *omnibus hæreticis*, & in ſpecie quidem, de illis ipſis, de quibus Hunnius loquebatur, pronunciatum illud clara voce protulerim, nempe de *Neſtorianis*, *Eutychianis*, alijsq; eiuſmodi hæreticis.

Omitto interim dicere, præter authoritatẽ Eccleſiæ ſcripturã ꝓponentis, opꝰ quoq; eſſe authoritate Eccleſię ſcripturã explicãtis, ad hoc vt hęreticus aliqs ſufficienter ex ſcriptura refutetur, omitto, inquam, quia ea q̃ dixi, ad calumniam illam nõ tantũ amoliendã, ſed etiã firmiſſime retorquendam ſufficiunt. Sed

Sed ait cæcus calumniator, ex illo pronunciato nostro sequi, Lutheranos non posse, in vllo articulo, à nobis sufficienter refutari: quia nec ex scriptura sola refutari possunt, seposita authoritate Ecclesiæ, nec etiam ex authoritate Ecclesiæ, vtpote, *quia hanc*, vt ait Hunnius, *non agnoscunt*: neq; ex vtraq;, ob eandem
Hunn. mend. causam. Sed respondetur, Hunnium mendaciter asserere, Lutheranos non agnoscere authoritatem Ecclesiæ, nisi forte ipse Lutheranus Doctor non est, sed Rabbi quidam Mosaicus, ad quam dignitatem in Colloquio aspirasse videtur. Certè quidem in Colloquio vel inuitus ipse profiteri debuit, agnoscendam esse infallibilem illam Ecclesiæ authoritatem scripturam proponentis, seu testificantis, quod hic vel ille liber sit Canonicus. Quam etiam testificationem, dixit Hunnius *infallibili* & *diuina*, ac *eâdem illa fide*, qua credim⁹
Sess. 11. *Trinitatis, V. G.* aut *Incarnationis* mysterium, esse credendum, tametsi ex sola scriptura non colligatur. Itaq; ex scriptura, suppositâ, non autem seposita authoritate infallibili Ecclesiæ, Lutherani sufficienter à Catholicis refutari possunt, vt etiamnum refutati sunt.

Quodsi quis forte ex Lutheranis, aut alijs hæreticis seu erronibus, authoritatem Ecclesiæ, scripturam proponentis, agnoscendam non esse putat, ne is quidem ex scriptura, nisi reipsa suppositâ Ecclesiæ authoritate, saltem apud orthodoxos, sufficienter refutari poterit: quandoquidem, etsi maxime sibi hæreticus persuadeat, rem hanc aliunde, quam ex Ecclesiæ traditione, infallibiliter decerni posse, id tamen rei veritatem nequaquam conuellit, atqueadeo necessitatem eius traditionis reipsa nequaquam tollit, nec orthodoxorũ

verif-

verissimam persuasionem minuit, qua censent, sine authoritate infallibili Ecclesiæ, de scripturæ canone constare non posse.

Sed & alio, inquit Hunnius, *stolidissimi disputatoris amenti redargitur.* Sed quo modo, mi homo? *Quia paradoxum,* inquit, *Tanneri efficit, vt Iudæorum blasphemi errores, à Pontificibus planè refelli nequeant*: cum Ecclesiæ Romanæ authoritatem non recipiant, quâ sepositâ; nullus potest ex scriptura error refutari. Sed respondeo, si Iudæorum errores à Pontificijs refelli non possint, id sine dubio in Hunnij gratiam fieret, vt ita *cathedra Moysis*, cum suis erroribus, sit æterna, non *temporalis*. Alioqui enim iam ostensum est, nec seposita Ecclesiæ authoritate, ex sola scriptura, vllam hæresin refutari posse, nec vllam non refutari posse, supposita ipsius infallibilis Ecclesiæ authoritate, tum re ipsa, tum opinione recte sentientium. Vt interim taceam, nec Iudæos quidem, in constituendo scripturæ canone, Ecclesię authoritatem seponere. Agnoscunt enim suæ saltem cathedræ authoritatem cum Hunnio, si non Romanæ, de qua ego determinatè non loquebar, tametsi quidem à parte rei, cum non alia nisi Ecclesia Romana vera sit Ecclesia, quæ infallibili spiritus sancti ductu regatur, vtpote *columna & firmamentum veritatis*, eius solius testificatio ad discernendos libros sacros à non sacris sufficere possit. 1. Timoth. 3.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

QVID CIRCA SESSIONEM nonam & vndecimam absurditatis in Catholicos comminiscatur Hunnius.

EX sessione nona illud, velut ingens absurdum profert Hunnius, quo à nostra parte pronuntiatum est: *Nec scripturam sacram, vt est verbum Dei, nec spiritum sanctum per scripturam loquentem, posse esse iudicem controuersiarum Religionis.* Quod dictum appellat Hunnius, *tetrum ac immane monstrum, execrabilem blasphemiam, non verbis, sed cœlesti fulmine refutandam. Nec dubitamus*, inquit nouus hic Pseudopropheta, *hanc flagitiosam contumeliam spiritui sancto factam, Deum aliquo memorabili exemplo seueriter esse vindicaturum.* Sed bona verba calumniator, malis enim eiusmodi vaticinijs neminem lædis, nisi teipsum & tuos. Nos quidem certè tua vaticinia timere nondum didicimus. Nam qui de præteritis & præsentibus tam splendide mentiris, de futuris vaticinanti quomodo credamus? Interim minimè dubito, si post disputationem Ratisbonensem, Iesuitarum aliqua turris vel rimas duntaxat egisset, ne dicam concidisset, quin eum tui vaticinij præclarissimum euentum, & ipsissimam pœnam iactatæ blasphemiæ, passim in cathedris & circulis deprædicassetis. Sed iam quando, Dei gratia, omnia salua consistunt Iesuitis, non dubito, quin etiam tui, hanc tuam Pseudoprophetiam, qua se punctos facile animaduertent, ægris auribus & animis sint percepturi. Itaque vaticinium tuum, cum calumnijs, tibi remittimus. Tu ad eos remitte, si placet, quos tangunt.

Relat. part. 2. cap. 1. Respon. Iac. Grets. contra thes. Hunn. de Iud.

Ad rem quod attinet, facile ni fallor interim intellexeris, tum ex ijs, quæ à me alibi dicta sunt, tum ex responso, quod contra theses tuas ediditis ipse, cuius verba tam nequiter calumniaris, dictum illud, eo quidē sensu, quo in ipso Colloquio, satis explicatum est, bla-

blaſphemiam nõ eſſe, ſed tuũ illud, calumniam. Non enim alio ſenſu dictum eſt, Spiritũ S. per ſcripturam loquentẽ, nõ poſſe eſſe iudicẽ controuerſiarũ religionis, quam hoc, quem ipſa verba ſatis jndicant: nimirũ Spiritum S. quatenus præciſe quidem per ſcripturam loquitur, eo modo, quo hactenus loquutus eſt ſemper, non poſſe eſſe Iudicem, quod veriſſimum, imò Catholicũ pronuntiatum eſt. Si enim ſub ea præciſe ratione, poſſet eſſe Iudex, tum de facto jam eſſet Iudex, quatenus præciſe per ſcripturã loquitur, & ſic ipſa quoq; ſcriptura eſſet Iudex, aut ſanè vox Iudicis, &c. quod jpſiſſimum hæreticorum dogma eſt, ab omnibus orthodoxis damnatum. Itaq; non eſt, cur ſperare poſſis, Hunnj, *cæteros Pontificios ab hac ſententia eſſe diſceſſuros.* Catholica hæc veritas eſt, ſi rem ſpectas, & à Catholicis omnibus facile contra te, ſi opus ſit, defendetur. Addo etiam, modum illum loquendi à ſcripturis alienum non eſſe. Ipſemet enim Euangeliſta Marcus de Chriſto filio Dei, cuj alioquj par vtiq; cum Spiritu Sancto potentia eſt, hac phraſi loquitur: *Et non poterat* (Chriſtus) *ibi* (in patria ſua) *virtutem vllam facere.* Itaq; & Euangeliſtam blaſphemiæ accuſet Hunnius, aut dictum illud de Spiritu Sancto, quod inſectatur, à blaſphemia abſoluat, quamuis quid abſolutionem à Prædicante petimus, à quo damnari ſatius eſt?

Sed heu minas addit Hunnius. *Si cæteri Pontificij,* inquit calumniator, *hac portenta blaſphemiarum velint habere rata, euigilabunt Eccleſiarum & Academiarum euangelicarum antiſtites, & hanc tantam blaſpemiam, quæ principium Religionis noſtræ ſcripturam* (ſcripturæ deprauationem)

scelerate conspuit, *& spiritum Dei* (potius superbissimum spiritum hæreticorum) *pedibus conculcat*, *grauiter haud dubie refutabunt*, *eaq; simul occasione*, *fœdissima pudenda meretricis Babylonicæ toti orbi Christiano magis magisq; patefacere laborabunt.* Ita Hunnius: Sed heu graues minas, dicam potius, an magnam calamitatem Hunnij, cui adiuuando, omnes Ecclesiarum & Academiarum euangelicarum Antistites, à somno quo hactenus tam suauiter *dormierunt, euigilare debeant.* Itaq; expergiscimini tandem, o tardi, torpescentesq; mortales. Adiuuate vestrum collegam. Quid moramini ventres pigri? *Ferte citò ferrum, date tela, scandite muros. Hostis adest.*

Sed quia fortè tam altum stertunt, vt te needum audiant, sicut nec Baal suos olim Pseudoprophetas audijt, ideo clama, quęso *voce maiore*, vt tandem te exaudiant. *Dij enim non sunt, & forsitan loquuntur, aut in diuersorio sunt, aut in itinere, aut certe dormiunt, vt excitentur.* Interim illud etiam nôris, si iuxta pronunciatum tui Beati Patris Martini Lutheri *sceleratum est, cum noueris pium & sanum esse alicuius sensum, ex verbis incommode dictis statuere errorem*, quanto sceleratius erit, modum loquendi, & quoad rem ipsam verum & Catholicum, & per se quoq; scripturas imitantem, tanquam blasphemiam & abominabile ac inauditum portentum, traducere.

3 Reg. 18.

Luth. Tom. 1. Vvit. pag. 415.

XIV. Illud quoque absurdum nobis impingit Hunnius, quasi à me dictum sit, *populum in dubio Religionis, Magistratus* etiam *Politici*, (vt Hunnius interpretatur) *sententiam* etsi *erroneam sequi debere*: *Quod est*, inquit Hunnius, *in Ecclesia paradoxum, & Epicureismo latam portam aperit.* Et est sanè hoc paradoxum, imò omni paradoxo detestabilius, sed Hunnij, non nostrum, cum id à nobis ne cogita-

Hunnius mendax.

tatum quidem sit vnquam, quod, non dubito, satis ipsemet Hunnius intellexit. Nam quonam modo, obsecro, in mentem venire potuit infælici Prædicanti, vel minima suspicio huius tam portentosi pronunciati, quasi à nobis in medium allati, cum id ab omni proposito & instituto nostro, à nostra thesi & hypothesi penitus esset alienum.

Probandum nobis incumbebat, *Ecclesiæ* (quo nomine, *Prælatos Ecclesiæ* à nobis intelligi, dixeramus:) sententiam & iudicium, in dubijs causis Religionis, infallibile esse, atq; adeò *Ecclesiam* in eiusmodi controuersijs habere authoritatem iudicandi *infallibilem*, ad quod probandum assumpseramus hoc argumentum.

Si Ecclesia, seu vt Prædicantes appellabant, ministerium in Ecclesia diuinitus institutum, cum publica authoritate regendi, authoritatem penitus infallibilem, in dubijs fidei controuersijs dijudicandis non habet, sequitur vniuersam Ecclesiam, vi talis ministerij à Deo instituti, in fidei errorem abripi posse: At hoc prorsus est à recta ratione abhorrens; ergo & illud, nimirum quod Deus in Ecclesia quidem ministerium aliquod cum *publica* regendi authoritate instituerit, sed absolutè infallibilem authoritatem iudicandi non concesserit.

Cuius argumenti, cum maior propositio à Prædicantibus negata esset, probata est hoc Enthymemate, Populus in Ecclesia tenetur acquiescere suorum superiorum sententiæ, si quam illi in dubia quadam contronersia Religionis tulerunt: ergo si fieri potest vt Prælati Ecclesiæ, seu ministerium, in Ecclesia insti-

tutum, in iudicando, circa dubiam fidei controuersiam erret, tum populus quoque subiectus, vi talis ministerij, diuinitus instituti, in errorem fidei trahi poterit.

Hic cum Prædicantes respondissent, subditos Ecclesiæ non teneri cuilibet Superiorum ac Prælatorum sententiæ stare, sed ei tantum, quam animaduerterent scripturis esse conformem, adducta à nobis est propositio illa vniuersalis, quàm malè à se explicatam, iam in absurdis numerat Hunnius. In omni Politia rectè constituta, tenentur subditi magistratus sui sententiam in aliqua dubia causa latam, etiamsi fortè à parte rei erronea esset (sicut in ciuilibus quidem causis accidere posse, dubium non est) sequi: Ergo etiam in Politia Ecclesiastica, tenentur subditi, sententiæ sui Magistratus Ecclesiastici, in aliqua dubia fidei controuersia, latæ acquiescere. Et hunc fuisse processum, hanc seriem nostri argumenti, ex ipso Protocollo liquet.

Sess. 9.

Quibus positis, quo modo vel somniare potuit Hunnius, me dixisse, aut dicere voluisse, debere populum Magistratus etiam ciuilis, etiam erranti sententiæ, in causis fidei acquiescere, cum tamen ex thesi & hypothesi nostra, probandum nobis incumberet, iudicium in dubijs fidei causis, non ad magistratum ciuilem, sed Ecclesiasticum, & quidem summos Ecclesiæ Prælatos pertinere; & ita quidem pertinere, vt habeant authoritatem iudicandi penitus infallibilem. Itanè penitus aut vecors, aut excors eras, Hunni, vt hoc non perciperes, aut contrarium tibi persuadere posses? Itane tua calumniandi libido

bido, qua insigniter æstuas, te penitus excæcauit, vt mentem & verba nostra, in re tam perspicua vel non intelligeres, vel deliberato animo calumniari velles?

Et quis, obsecro, non videt, nos in ea propositione vniuersali, in omni doctrina morali notissima, generatim locutos fuisse, de quacunque politia quidem, sed non nisi quoad causas, quæ ad quamque politiam dijudicandæ pertineant, vt hic illius propositionis sensus sit; In omni politia recte constituta, tenentur subditi Magistratus sui sententiam sequi, latam in aliqua causa dubia, quæ ad eum dijudicanda spectarit. Et hoc tu solus Hunni non videris? rem tam claram, tam perspicuam, tam cuilibet non insanæ menti obuiam? Vix credo, & tamen credam, si mauis dici insanus nugator, quàm mendax calumniator.

Itaque frustra es, si adhuc exspectas, vt exspectare statueras, *dum Pontificij deliberent, an hoc etiam velint habere ratum*, quod per insignem calumniam Catholicis imposuisti, frustra etiam iubes, vt euoluant omnia Patrum scripta, num forte huius portenti vestigium saltem in ijs reperire valeant. Tu potius adepta mentis sanitate, *delibera*, an tuum illud calumniosum mendacium velis *habere ratum, & euoluas omnia* Protocolli *scripta, num fortè huius portenti*, quod nobis mendaciter imposuisti, *vestigium in ijs reperire valeas*. Interim vt mala bonis compensem: S. Augustinum authorẽ tibi do meæ illius propositionis, quã in colloquio stolidè negasti. Hic enim aperte docet, teneri subiectũ militẽ in dubia belli causa suo regi seruire & obtẽ- S. Aug. lib. 22. Cont. Faust. cap. 75.

perare

perare, etsi fortè Rex iubendo peccet, atq; adeo belli causa reipsa iusta non sit. *Ergo vir iustus*, inquit, *si forte sub rege, homine etiam sacrilego militat, rectè potest illo iubente bellare, si ciuicæ pacis ordinem seruans, quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel vtrum sit, certum non est: ita vt fortasse reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi.* Quod etiam ex iure Canonico discere poteras si animus tibi discendi fuisset, non calumniandi. Sed quid opus est hac in re iure Canonico, quæ ipso naturali rationis lumine euidens est, vt in Colloquio etiam demonstratum est.

Can. quid culpatur. 23. q. 1.

XV. Velut absurdum refert Prædicans illud, quod à me Sess. II. dictum est, *quicquid vspiam in sacris Biblijs occurrit, siue historia sit, siue historiæ minutissima saltem particula, id omne vim dogmatis obtinere, & articulum esse fidei:* Et quidem in specie ista: Euangelium sancti Matthæi esse Matthæi siue Canonicum, fontem ascendisse de terra qui irrigaret superficiem terræ. Thobiam secum duxisse canem; cui Hunnius, in rebus omnibus de cauda magis, quam de capite sollicitus, etiam caudam assuit. Sed quid tandem in eo pronunciato absurdi, absurde Prædicans? De re nulla, de voce articuli omnis hîc quæstio est. Et tu exclamas, Absurdum, ita latè accipere articuli vocem. Ego vicissim aio, te tuiq; similes absurdos, qui nesciant, vocem articuli ita latè quandoque sumi, non tantum vulgi consuetudine, sed etiam doctorum vsu. Dico igitur Articuli nomen dupliciter accipi posse & solere; primò strictè, pro membro quodam quasi integro & præcipuo fidei, omnibus omnino absoluta necessitate credendo, quomodo Theologi plærumque duodecim, aut quatuordecim articu-

Relat. fol. F. 2.

Genes. 2. Thob. 6.

articulos symboli Apostolici numerat. Secundo paulo latius, pro qualibet fidei propositione, *implicitè* saltē, & *quoad actus specificationem* necessariò omnib⁹ credenda, ita vt quisquis eam pertinaciter neget, hæreticus fiat. Et hac posteriore nominis vsurpatione, quam ipsa res in Colloquio tunc exigebat, vt à me alibi ostensum est, verissimè dictum est, quālibet propositionem in scriptura, aut extra scripturam diuinitus Ecclesiæ reuelatam, fidei Articulum esse. Neq; verò vt imperitus Hunnius existimat, hæc nominis acceptio noua, absurda, & à me primum excogitata est, & ab omni vsu loquendi remota, sed & Theologis vsitata. Audiat, quid hac de re Gabriel antiquus scholæ Theologus, cuius studiosum esse intelligo Hunnium, scripserit. *Tertio dubitatur*, inquit, *quid sit Articulus fidei. Dimissis difficultatibus, dico quod Articulus fidei, est veritas reuelata in se, vel suo antecedente, pertinens ad religionem. Et ita OMNIS veritas credenda, est Articulus fidei. Et dicitur Articulus ab Arctando, quia arctat nos ad credendum, explicitè vel implicite. Tenetur enim quilibet fidelis implicitè credere omnem veritatem fidei, quia tenetur credere principia, ex quibus qualibet veritas fidei infertur.* Ita Gabriel, qui quando de modo solum loquendi sermo est, satis esse potest, ad imperitiam vanitatem & ineptiam Prædicantis redarguendam, qui eiusmodi loquendi modum tanquam insolitum, inauditum, & absurdum deridet.

Gab. distinct. 14. quæst. vnic.

Interim de re ipsa si loquamur, satis credo meminit Prædicans, quam turpiter ipse cum suo collega, hac in re steterit, ita quidem vt apertè concedere debuerit, aliquid fide diuina & infallibili necessario credendum esse, quod tamen nec scriptum sit, nec ex sola sa-

V cra-

cra scriptura euidēter deducatur, vt alibi à me declaratum est. Vbi etiam ostendimus canem illū Thobiæ ita Huñio infestū fuisse, & ab illo in eas planè angustias esse conjectū, vt nesciret, q̄d esset distinguere, q̄d negare. Alia Hunnij absurda hoc loco admissa, infra suo loco cōmemorabim⁹. Iā cætera q̄ Huñius memor at videam⁹.

CAPVT DECIMVM QVARTVM

DE CÆTERIS ABSVRDITAtibus, quas Catholicis absurdè tribuit Hunnius.

DVODECIMA *quoq; Sessio,* inquit Prædicans, *fuit aliquot catulis absurditatum insignis.* Omnino. Quid enim nisi catulos absurditatum proferat hic absurditatum Parens Hunnius? Edat ergo nunc, quos reliquos habet, ne forsan retento partu moriatur. *Prim⁹,* inquit, *est egregia illa probatio, quod infantes in Baptismo actualem fidem nō consequantur, quia non possent à sacrilegio excusari, dum baptismo suo reluctantur,* (*vt ait Iesuita*) *omnibus viribus, manibus, & pedibus. Bella sanè probatio.* Imo bellissima, qua à Catholicis controuersiarum tractatoribus absurdissimum illud Prædicantium dogma de fide actuali infantium egregiè perstringitur. Si enim infantes actualiter credunt, habebunt vtiq; aliquam cognitionē Dei, cui credunt: si cognitionem Dei habent, habebunt etiam aliquam cognitionem sui, & earum rerum, quæ circa se geruntur, sibiq; ad salutē necessariæ sunt, si hoc habent, habebunt etiam ipsius Baptismatis cognitionem: quod si eius cognitionem habent, & ei tamen tantopere resistunt, vt sanè resistunt, tunc profecto à sacrilegio excusari non poterunt, quandoqui-

quidem absq; sacrilegio, tam sacro & necessario salutis remedio prudens nemo resistere potest. Ergò si infantes credunt, dum baptizantur, vt Prædicantes aiunt, à sacrilegio certè violati secramenti excusari non poterunt. Et quid in hoc Sorite, absurde Prædicans, absurdi est, imo quid non firmum, & rationi quàm maximè consonum. Retexe & dissolue, si potes. Sed ait Hunnius. *Quod si vera & actualis fides cum talibus gestibus, qui significationem habent naturalis impatientiæ, nequit consistere: quomodo igitur in ipsa morte, fides actualis tribuenda fuerit homini, quando manibus & pedibus totoq; corpore reluctari videtur Deo per mortem euocanti illum, ex huius immundi mundi egastulo.* Sed hic dum vnum absurdum, sua opinione, insectatur Hunnius, duo admittit. Primum dum ita loquitur, quasi à nobis dictum fuisset, fidem cum impacientia consistere non posse, quod à dictis, & sententia nostra alienissimum est. Secundum dum ait, mortis dolores mortemq; ipsam naturaliter refugientē, videri Deo reluctari, sed cui hoc videatur, nisi absurdæ menti, nisi illi, qui Christum ipsum ob mortis, aliorumq; impendentium malorum exspectationem, tristem vsq; ad mortem, Deumq; Patrem pro ijs auertendis, si fieri possit, deprecantem, Deo resistere blasphemè dixerit? Alia ratio est eorum, qui prudenter baptismo resistūt. Isti enim, si baptismum absolutè refugiant, rectè cēsentur Deo ipsi velle resistere, vtpote cum eius præceptū absoluta voluntate auersentur. At qui naturaliter mortem refugit, aut non scit, hanc DEI voluntatem esse, vt jam moriatur, aut si scit, non nisi hypothetica volūtate, (*si possibile est*) vel secundum quid mortem auersatur. Quod si Prædicans dixerit, infantes tantum

ſecundum quid baptiſmum auerſari, id tum demum credam, ſi probauerit, infantes non tantum fideles, ſed & Metaphyſicos eſſe, qui à rebus concretis abſtractos formare queant conceptus. Interim quando tanto conatu ablutioni renituntur, dubitare nemo poteſt, quin, ſi in eorum eſſet poteſtate, ipſi, non obſtante precepto diuino de baptiſmo ſuſcipiendo, ſe à baptiſmi ſuſceptione abſolutè retraherent. Quocirca omnino ſacrilegi fiunt, ſi credunt, & tamen ſimul tantopere baptiſmo renituntur, quem credunt. Sed de veſtra illa fide actuali infantium, in veſtris abſurdis fuſius. Iam decimum ſextum hoc abſurdum Hunnij ſatis diſcuſſum eſt.

XVII. Ferre æquo animo non poteſt hoc dictum Hunnius: *Non prius credendum, aliquem in infantia baptizatũ, fidẽ eſſe conſequutum, quam poſſit (adultior jam factus) recordari, ſe in infantia actualiter credidiſſe.* Igitur abſurdum hoc putat Hunnius, ſed ego in Prædicantes ſalſum jocum. Ita enim hoc à me joco affecti ſunt, vt ſatis tamen inſulſi Prædicantes morderi ſe animaduerterent. Cum enim alioq; Aduerſarij nec vllius ſcripturæ autoritate, nec vllius ſcriptoris Eccleſiaſtici teſtimonio, nec vllius aut hæretici, aut Catholici, qui ante Lutherum, ſpacio mille quingentorum añorum, jmo vel ab orbe condito vixerit; aſſertione, probare poſſint, infantes actualiter credere, quis obſecro paradoxum hoc, ſolo jam Luthero cum ſuis aſſerente, ſine vlla teſtificatione credat?

Deinde ſi infantes credunt, ergo etiam intelligunt, ſi intelligunt, ergo reminiſcuntur, quomodo ergo inter tot millia milliũ infantium, nullus hactenus inuentus eſt,

eſt, qui vel in adulta, vel in puerili ætate, aut ſuſcepti baptiſmatis, aut habitæ actualis fidei recordaretur: Vides ergo, Hunni, hoc nō abſurdè, ſed argutè dictum eſſe?

Sancti Ioannis Baptiſtæ exemplum, quod abſurdus Prædicans identidem inculcat, extraordinarium eſſe omnes ſciunt, quotquot eo non maiorem inter natos mulierum fuiſſe ſciunt. Neq; vero mirum eſt, quod hic ipſe ſanctus Dei præcurſor, jam adultus, Saluatorem ad ſe venientem non agnouerit; quia nec in vtero quidem de facie illum nouerat, & ſi fortaſſis alioqui Meſſiam præſentem nôrit. Vt taceam interim, non deeſſe graues authores, qui ſentiant, exultationē illam ſancti Ioannis in vtero diuinitus quidem accidiſſe, ſed ſine proprio illius ſenſu, ſine cognitione, ſine actuali fide, inter quos eſt etiam S. Auguſtinus. **Auguſt. Epiſt. 57 ad Dardan.**

XVIII. Illud jam velut abſudum obijcit Hunnius, *neminem poſſe de veritate, & efficacia ſui baptiſmatis euidenter eſſe certum; quia nemo certus eſſe poſſit de intentione eius, à quo baptizatus eſt.* Agnoſco hac in re prorſus Catholicum dogma, in duob⁹ Catholicis concilijs definitū, etſi abſurdis hæreticis abſurdum videatur. *Sed hoc monſtrum,* inquit Hunnius, *antequam ferè lucem aſpexit, aliquot argumentis confoſſum, & Pater ipſe Tannerus quod ex adamata forma tam informe genuiſſet portentum, pœnæ loco in ſaccum concluſus eſt.* Optimè feciſti, mi Hunni, ſic enim & parentem, & catulos abſurditatum ſimul concluſos ipſe tenes, ſi vera ſunt q̃ loqueris. Tui ſunt, & quis tibi inuideat? Caue modo, vt quos tenes, teneas; & ita quidem teneas, ne te mordeant, caue etiam, vt quæ bello cœpiſti mancipia, fame ne eneces. Sed nihil magnopere à fame metuo talibus, ſi quos cœpiſti, captiuis. Omni enim abſurditatū gene-

Relat. Hunn. fol. F. 1.

Concil. Florent. decr. de ſacr. Concil. Trid. ſeſſ. 7 can. 11.

ſecundum quid baptiſmum auerſari, id tum demum credam, ſi probauerit, infantes non tantum fideles, ſed & Metaphyſicos eſſe, qui à rebus concretis abſtractos formare queant conceptus. Interim quando tanto conatu ablutioni renituntur, dubitare nemo poteſt, quin, ſi in eorum eſſet poteſtate, ipſi, non obſtante pręcepto diuino de baptiſmo ſuſcipiendo, ſe à baptiſmi ſuſceptione abſolutè retraherent. Quocirca omnino ſacrilegi fiunt, ſi credunt, & tamen ſimul tantopere baptiſmo renituntur, quem credunt. Sed de veſtra illa fide actuali infantium, in veſtris abſurdis fuſius. Iam decimum ſextum hoc abſurdum Hunnij ſatis diſcuſſum eſt.

XVII. Ferre æquo animo non poteſt hoc dictum Hunnius: *Non prius credendum, aliquem in infantia baptizatũ, fidẽ eſſe conſequutum, quam poſſit (adultior jam factus) recordari, ſe in infantia actualiter credidiſſe.* Igitur abſurdum hoc putat Hunnius, ſed ego in Prædicantes ſalſum jocum. Ita enim hoc à me joco affecti ſunt, vt ſatis tamen inſulſi Prædicantes morderi ſe animaduerterent. Cum enim alioq; Aduerſarij nec vllius ſcripturæ autoritate, nec vllius ſcriptoris Eccleſiaſtici teſtimonio, nec vllius aut hæretici, aut Catholici, qui ante Lutherum, ſpacio mille quingentorum añorum, jmo vel ab orbe condito vixerit; aſſertione, probare poſſint, infantes actualiter credere, quis obſecro paradoxum hoc, ſolo jam Luthero cum ſuis aſſerente, ſine vlla teſtificatione credat?

Deinde ſi infantes credunt, ergo etiam intelligunt, ſi intelligunt, ergo reminiſcuntur, quomodo ergo inter tot millia milliũ infantium, nullus hactenus inuentus

eſt,

est, qui vel in adulta, vel in puerili ætate, aut suscepti baptismatis, aut habitæ actualis fidei recordaretur: Vides ergo, Hunni, hoc nō absurdè, sed argutè dictum esse?

Sancti Ioannis Baptistæ exemplum, quod absurdus Prædicans identidem inculcat, extraordinarium esse omnes sciunt, quotquot eo non maiorem inter natos mulierum fuisse sciunt. Neq; vero mirum est, quod hic ipse sanctus Dei præcursor, jam adultus, Saluatorem ad se venientem non agnouerit; quia nec in vtero quidem de facie illum nouerat, & si fortassis alioqui Messiam præsentem nôrit. Vt taceam interim, non deesse graues authores, qui sentiant, exultationē illam sancti Ioannis in vtero diuinitus quidem accidisse, sed sine proprio illius sensu, sine cognitione, sine actuali fide, inter quos est etiam S. Augustinus. Auguft. Epist. 57 ad Dardan.

XVIII. Illud jam velut absudum obijcit Hunnius, *neminem posse de veritate, & efficacia sui baptismatis euidenter esse certum*; *quia nemo certus esse possit de intentione eius, à quo baptizatus est.* Agnosco hac in re prorsus Catholicum dogma, in duob⁹ Catholicis concilijs definitū, etsi absurdis hæreticis absurdum videatur. *Sed hoc monstrum,* inquit Hunnius, *antequam ferè lucem aspexit, aliquot argumentis confossum, & Pater ipse Tannerus quod ex adamata forma tam informe genuisset portentum, pœnæ loco in saccum conclusus est.* Optimè fecisti, mi Hunni, sic enim & parentem, & catulos absurditatum simul conclusos ipse tenes, si vera sunt q̃ loqueris. Tui sunt, & quis tibi inuideat? Caue modo, vt quos tenes, teneas; & ita quidem teneas, ne te mordeant, caue etiam, vt quæ bello cœpisti mancipia, fame ne eneces. Sed nihil magnopere à fame metuo talibus, si quos cœpisti, captiuis. Omni enim absurditatū gene-

Relat. Hunn. fol. F. 2.

Concil. Florent. decr. de sacr. Concil. Trid. sess. 7 can. 11.

genere satis pinguia apud te suppetent pascua quibus nutriantur.

Hunnius mendax. Rem quod attinet, mendacium est primo, *Patrem Tannerum ex adamata forma*, vt tu loqueris, *illud pronunciatum genuisse*. Fuit enim non solum antequam ego & tu, sed etiam priusquam fides tua esset. Secundò *adamatam à me formam*, quod significas, gratum habeo, eoq; magis, quo clarius ita formam tibi exosam fuisse demonstras. Tertio tam verum est, pronunciatum illud à te *confessum* esse quàm quòd *Tannerum sacco conclusisti*. Et quo obsecro nodo, nodose Prædicans, saccum hunc conclusisti, quo tam indissolubili nexu, quo argumento constrinxisti? Si de ijs loqueris, quæ in Colloquio attulisti, ad probandũ, quod ex sola scriptura euidẽter colligatur, baptizatos ab hæreticis nõ esse rebaptizãdos, tunc ex Protocollo, & eorũ, q disputationi interfuerũt, testificatione, falsitatis cõuinceris; cũ ex his constet, ea omnia à me in Colloquio planissimè dissoluta fuisse, maximo & Auditorũ plausu, & Prędicantiũ probro, hac ferè vnica voce identidem repetita, *nego cõsequentiam*. Ad quã responsionem, cum non haberet Hunnius, quod obijceret, *ad turpissimum silentium adactus est*, totius quasi auditorij risu.

Sed ne dubitemus de quibus argumentis loquatur, videamus, quæ in sua relatione, ad pronunciatum illud euertendum, adferat Hunnius, & quibus monstrũ id etiam in Colloquio, nõ vtiq; lethali punctura, *confossum* esse gloriatur. Primò, ait, *dogma illud ad ciendas non modo sæuissimas tentationes, sed ipsam desperationem in conscientijs gignendam compositum*. Sed respondetur desperare posse Hunniũ de expugnando illo dogmate, si meliora argumenta non habet. Non enim ideo desperant Catholici, quod temerè non sperent, Neq; verò in hoc consistit

spes,

ſpes, vt quis abſoluta infallibilitate credat aut ſperet, ſe nulla re penitus obſtante, juſtificatũ eſſe, vitamq; æternam certiſſimè conſecuturum. Hæc, inquam, non eſt Chriſtiana ſpes, ſed vaniſſima temeritas & pſumtio. Et planè ſi hęc ad cælum ſemita eſſet, quam *lata porta & ſpatioſa via* eſſet, quæ duceret *ad vitam?* Quæ enim difficultas eſſe poteſt eius boni obtinẽdi, quod tunc obtinetur cum ſperatur? ſed jam *anguſta porta, & arcta via eſt, qua ducit ad vitam.* Ideoq; etiam *cum metu & tremore operari ſalutẽ* jubemur. Hæc ergo Chriſtianæ ſpei certa fiducia eſt, & in hoc cõſiſtit, vt quiſq; confidat, ſe certiſſimè, quãtũ eſt ex parte ipſius Dei, ſalutẽ eſſe cõſecuturũ, modo tamen interim, ex parte ſua, nihil deeſſe patiatur, quod ad ſalutem conſequendam neceſſarium ſit. Matth. 7. Philipp. 2.

Secundò, *Verbum Dei, non deſinit eſſe verbum Dei*, inquit Prædicans, *nec ideo fit inefficax, q̃ aliena intentione prædicatur.* Relat. Hunn. f. f. 4. Sed reſpondetur, diſcrimẽ ampliſſimũ eſſe inter verbũ Dei, ſeu alia verba quæcunq; merè ſignificatiua, & inter actionẽ, ſeu verba, q̃ vim aliquã operandi habeant. Illa enim ſuã vim ſignificãdi habẽt & retinent, à quocunq; quomodocunq;, quacunq; ratione proferantur, ſiue ab homine, ſiue à pica, ſiue à pſittaco, ſiue ab aſino Balaã. At verba illa, q̃ vim aliquã quippiã efficiendi habant, qualia ſunt etiã ſacramẽtalia, eam vim nõ habẽt, niſi ab aliqua certa pſona, authoritatẽ habẽte, cũ voluntate id ipſum operandi, q̃ fieri debet, proferãtur. Fruſtra enim latroni dicit, ſe loculos donare, q poteſtatẽ aut voluntatẽ donãdi nõ habet. Nec in judicio V. G. firma eſt abſolutio eius, q abſoluẽdi poteſtatẽ & volũtatẽ nõ habet. Itaq; cũ verba ſacramentorũ ſint practica, q̃ nõ tantum vim ſignificandi, ſed etiã operandi habent, neceſſe eſt vt cum certa voluntate ac intentione proferantur,

nisi adeo insanire velint Prædicantes, vt ea quoq; à pica vel psittaco prolata vim sacramentalem habere censeant. Scio quidem Lutherum etiam diabolo talem concessisse potestatem vt sacramenta administrare valeat. At bruto tamen nemo concessit hactenus, quod sciam, neq; concesserit, nisi brutus homo. Tertiò. *Circumcisio à Sephora Moysis vxore, quamuis infideli, & aliena intentione facta, rata erat*: ergo etiam baptismus quacunq; intentione collatus, validus erit.

Sed hoc argumentum multis modis vitiosum est. Et inprimis quidem negari potest consequentia. Cum enim sacramenta nouæ legis longè sint efficaciora & nobiliora sacramentis antiquæ legis, & illa quidem sint vasa & instrumenta gratiæ & sanctificationis, atq; adeo actiones planè operatiuæ & practicæ; hæc verò infirma & *egena elementa* juxta sanctum Paulum, nihil adeo mirum esset, etsiamsi in illis, non in his certa intentio requireretur. Deinde verò antecedens varijs modis falsum, aut dubium est. Primo enim, Sephoram, dum filium suum circuncideret, haud dum fidelem fuisse planè incompertũ est. Alienigenam fuisse lego, sed infidelem, post tam diuturnam cum Moyse tam sancto viro consuetudinem, post tanta prodigia, quæ Moysi jam diuinitus acciderant, nec lego, nec credo. Neq; multò certius est illud, quod in eius rei probatione ait Prædicans, Moysen in eius gratiam, ad redimendam pacem domesticam, hucusq; circumcisionẽ differre necesse habuisse; verisimilius eos sentire puto, qui censent filium illum Moysi non multo ante natum fuisse, jmo necdum octauum compleuisse diem, cũ Moyses ex terra Madian in Ægyptum ad tractandũ nego-

Galat. 4.

negotium liberationis filiorum Israel profectus esset. Secundò falsum est antecedens illud, ex ea parte, qua significat Zephoram in sui filij circumcisione, non habuisse eam intentionem, quam ad valorem sacramentorum Catholici requirunt. Intendebat enim vtiq; ritum circumcisionis ex præcepto diuino necessarium, & in Iudæorum populo receptum perficere. Nec aliam requirunt Catholici in ministro sacramentorum nouæ Legis, nisi illam ipsam, qua minister intendat facere, qnod facit Ecclesia. An vero simul vanam gloriam, lucrum, sanitatem, aut aliud quiddam spectet, hoc omnino quidem sacerdotis interest ne peccet, ad valorem autem sacramenti nihil attinet. Tertiò falsum est etiam antecedens, ex ea parte, qua significat in sacramento circũcisionis, aut alijs antiquæ legis sacramentis administrandis, nullam penitus certam intentionem necessariam fuisse. Hoc omnino falsum aio. Quis enim dixerit, circumcisionis sacramentum fuisse administratum paruulo illi, quem forte ex alienigenis parens sanitatis causa, absq; omni proposito Iudaicam illam circumcisionis cæremoniam administrandi, circumcidisset? Aut quis adeò insaniat, vt eum quoq; Iudaicæ circumcisionis sacramento initiatum esse dicere velit, qui fortè hodie sanitatis causa medica manu carne circumcisus sit?

Poterit profecto, si ita velit ineptire Hunnius, etiam hac ratione suæ *cathedræ Mosaicæ perpetuitatẽ* stabilire.

Sed quartò obijcit Hunnius. Etiam *sacrificia ab impijs sacerdotibus, qui alias in doctrina erant prorsus hæretiti, validè perficiebantur, non habita ratione intentionis, qua sacerdotes ea offerebant*. Ergo &c.

Respndetur & antecedens falsum, & cõsequentiam infirmam esse. Hoc quidem ob rationem superius assignatam: Illud verò, quia planè incredibile est, & portento simile, occisionem tauri verbi gratia, quacunq; demum intentione fieret, sacrificij rationem apud Iudæos habuisse, aut habere potuisse, nisi forte dicere velit Hunnius, tot in veteri Testamento fuisse sacerdotes, quot laniones, & tòt Deo sacrificia oblata, quot boues aut oues cæsi. Et tunc rursus hodie multis nouis sacerdotibus cathedram suam Mosaicam exornare poterit.

Quintò *Incredulitas hominum non euacuat fidem promissionum Dei.* Sed quid tũ? Ergo neq; necessariæ intentionis defectus irritum facit sacramentum. Sed melius sic. Ergo Hunnius est insulsus disputator, qui ex quolibet quodlibet, & quomodolibet colligit. Cur nõ potius infert Prædicans, q, à verbis ipsius textus propius abest? Ergo infidelitas nõ obstabit, quo min⁹ omnes homines salutẽ cõsequantur juxta promissionẽ Dei, qua omnes homines vult saluos fieri. Vnde rursus vlterius colliget Hunnius, omnes Iudæos, Turcas, Idololatras, quemq; in in sua fide, seu perfidia, saluari. Quia *incredulitas hominum Dei promissionẽ nõ euacuat.* Certè hoc à verbis & litera producti testimonij paulomin⁹ recedit; q, si hanc collectionẽ nõ admittit Hunnius, vt sanè admittẽda nõ est, cur tam ineptus est, vt aliam cõsequentiã quæ à sensu non minus, & à verbis illius scripturæ longè magis recedit. Iam autẽ in Colloquio diximus sensum eius loci duntaxat esse, incredulitatem Iudæorum impedimento esse non potuisse, quo minus juxta diuinam promissionem Christus veniret, per quem salus humano generi contingeret.

Romanor. 3.

Sextò

Sextò S. Paulus de baptizatis vniuersaliter pronunciat, *Quotquot baptizati estis Christum induistis.* Sed rursus nugatur Prædicans, cum in hoc loco minimè explicetur, quid ad baptismi valorem requiratur, sed effectus solum validi baptismi declaretur, qui scilicet est, Christum per gratiam induere. Atq; his scilicet argumentis *ad turpe silentium adactus est Iesuita.* Sed verius ego retorserim, his responsionibus ad turpe silentium adactus est Prædicans.

Quæ etiam argumenta hîc referre placuit, vt quatuor Hunnij mendacia, quæ hoc loco, quasi in fasciculum collecta effutit, melius intelligerentur. 1. Cum ait, hæc argumenta omnia à se fuisse in Colloquio proposita. 2. Ad eum scopum fuisse proposita, vt probaretur, intentionem ministri non esse necessariam. 3. *Ad omnia & singula* hæc arguméta non aliud fuisse responsum, *præter hoc friuolum, nego consequentiam.* 4. Me his argumentis ad silentium adactum fuisse. Hæc mendacia sunt, cũ ex Protocollo cõstet, arguméta ista omnia & singula, quatenus per ea probatur, intentioné in ministro sacramentorũ non requiri, ab Aduersarijs producta nõ fuisse. Attigerunt quidé ex parte, vt probarét, ex sola scriptura euidenter posse demonstrari, baptizatos ab hæreticis nõ esse rebaptizandos: Sed eò nõ retulerunt omnia, (vt nec referre debebãt) intentioné in ministro, ad sacramenti valorem necessariam non esse. Cum ergo argumenta illa omnia proposita nõ fuerint, quomodo ad omnia ea nihil responsum, nisi nego consequentiam? quomodo per ea ad turpe silentium adactus fuit Iesuita? Hunn. mend.

Atq; ita Hunnius in sua Relatione absurda sua potius, quam nostra concludit. At quia fortassis interim fætus illi absurditatum, quos sacco conclusos tenebat Hunnius, in Hunniano cerebro noua propagine aucti sunt, ideo in suis illis notationibus plura addit, quæ nunc breuiter quoq; percurremus. Igitur XIX. pro absurdo nobis exprobrat Hunnius, quod Iesuitæ in *nominando suo judice, fœdè fuerint tergiuersati.* Sed Prædicantes turpissimis postulatis, non Iesuitas, hac in re tergiuersatos esse, à me alibi luculentissimè demonstratum est.

Notat. Hunn' fol. A.4. mend.

XX. Ait Hunnius, *Iesuitas in secunda Sessione sibi contradixisse.* Sed de hac contradictione, in Hunniano cerebro extructa, infra dicetur.

XXI. Nobis attribuit, quasi dixerimus, *Iudicem omniũ controuersiarum generalem, posse aliud sentire in corde suo, aliud verò publicè seruandum decernere, idq; sine hypocrisi.* Sed hic Hunnius, more suo, *aliud sentit in corde, aliud ore* pronunciat, atque adeo, vt breuiter dicam, mentitur. Dictum enim quidem est, posse Pontificem in corde esse, *priuatim malum, ratione personæ, bonum ratione officij,* & vero etiam errare posse, vt priuatum Doctorem: in definiendo cũ publica authoritate, nunquam. At nunquam dictum est, posse *absq; Hypocrisi,* simul aliud sentire in corde, aliud verò publicè seruandum decernere. Qua in re ad Protocollum me refero.

Hunn. mend.

Sess. 3.

XXII. Hoc etiam nobis impingit Hunnius, *Quod Vrias sacerdos altare ad Damasceni altaris similitudinem exstruens, peccarit quidem in moribus, non tamen in doctrina.* Sed hoc etiam in Hunnianis fraudibus numerari potest. Distinximus enim illud docere, his verbis. *Dupliciter potest*

Hunn. mend.

Sess. 3.

potest aliquis docere, primo simplici suasione. 2. Cum definitione. Et sic definiendo nunquam determinauit, vel definiuit aliquid Vrias. Id quod etiam verissimum esse, ex scripturæ textu satis ostensum est.

XXIII. *Quod scripturæ sacræ tam non competat perfectio cõtinendi in se omnia dogmata religionis & fidei, quam non competit homini habere alas, aut cornua.* Sed hoc etiam Hunnianũ est mendaciũ, nusquam enim hoc à nobis dictum est. Sed his exemplis duntaxat demonstratum, scripturam non ideo *imperfectam* censeri posse, tametsi non omnia dogmata morum & fidei apertè contineat, cum ei perfectio hæc debita non sit. Sicut etiam hominem nõ ideo dicimus imperfectum, quòd alas, aut cornua non habeat, eo quod similiter perfectiones istæ homini debitæ non sint. Interim non magis naturæ homini repugnare, esse alatum, aut cornutum, quam scripturæ, omnia dogmata morum & fidei apertè continere, nunquam est assertum. De qua re videat lector Protocollum. Atq; ita responsum esto ad absurda viginta tria vel triginta, vt in suis Notationibus per minimas sectiones diuisa numerauit, & Catholicis obiecit Hunnius. Ex dictis autem verissimum esse liquet, id quod à me initio dictum est, nihil ferè in Absurdis numeratum fuisse ab Hunnio, quod non aut Catholicum esset pronunciatum, aut Hunnianum mendacium. Sed quia non decet nos ab Hunnio liberalitate vinci, ideo sua quoq; ei absurda in Catalogum redacta transmittemus, multo auctiore, imo duplicato numero, quæ etiam tædij leuandi gratia in quinq; decades cum Auctario dispertiemur.

4. Reg. 6.

Sess. 4.

CAPVT DECIMVM quintum.

DE PRIMA DECADE ABſurdorum à Prædicantibus in Colloquio admiſſorum.

QVAM ferax abſurditatum, ex parte Prædicantium futurum eſſet Colloquium, felici omine, in ipſo ſtatim Colloquij exordio demonſtarunt. Mox enim abſurdis auſpicari Colloquium cœperunt, dum iniquiſſimis poſtulatis, cōtra leges inipſo Colloquio præſcriptas, & imprimis quidem tertiam illam, qua decernebatur, vt *vbi ad ipſum diſputationis actum & in arenam deſcenſum fuiſſet, poſt terminorum Theologicorum ad præſentem diſquiſitionem pertinentium, breuem & neceſſariam declarationem, ab aduerſa parte requiſitam, recta ſine ambagibus ad examen theſium & argumentorum procederetur:* amplius quam horæ ſpacium diſputationis progreſſum morati ſunt, de qua re in Relatione à me fuſius actum eſt.

Seſs. 1.

Relat. 1. Part. Cap. 1

II. Secundum eſt ab ijſdem, eodem loco, admiſſum, dum ad illa ſua poſtulata obtinenda pertinaciſſimè ac ineptiſſimè vrgebant, eandem illam Colloquij legem tertiam: vt nimirum Catholici colloquutores, quia juxta dictam legem termini, *Normæ* & *Iudicis* declarandi eſſent, declararent etiam primo, quis nam ſit Iudex, an Pontifex, & quidem an cum concilio, an abſq; concilio, an adhibito ſtudio, an hoc ſecluſo definiens, ſit Iudex: ſecundò, quænam in ſpecie ſint traditiones Catholicorum, quas extra ſcripturam habent. Vbi planè miſe-

Seſs. 1.

miseri Prædicantes satis ostenderunt, se nescire, quid sit, *explicare terminos.*

III. Est Hunnij in eadem Sessione, cum diceret, *Petrus prima Epistola cap. 3. præcipit, quouis tempore reddendam esse rationem fidei.* Vbi Prædicans falso allegauit textum, cum Sanctus Petrus solum de animi præparatione loquatur: *Parati*, inquit, *semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem.* Vt etiam græcus textus habet: ἕτοιμοι δὲ ἀεὶ πρὸς ἀπολογίαν &c. Accedit, quod id Hunnij dictum per se absurdissimum est: quasi verò sine mora quocúq; loco & tempore, seu necessitas vel vtilitas suadeat, seu dissuadeat, cuiq; importuno exactori ratio fidei reddẽda sit. Quid enim si à Prædicantibus peteret aliquis, vt & cibo quidem ac somno necessario prætermisso, dies ac noctes rationem fidei suæ redderent, putamusne ideo eos, obtemperandi studio, sese inedia, vel insomnia confecturos esse? Facilis sanè modus enecandi Prædicantes, tentandus primum in Hunnio, huius artificij autore, deinde in alijs, si succedat. Iam verò, cum à nostris responsum esset, Apostolum, quod res est, & ipsa litera textus habet, de animi duntaxat *præparatione* loqui, vt nimirum omni quidẽ tempore *parati simus*, ad reddendam rationem fidei, sed reddendam eo tẽpore, quo id necessitas, vel vtilitas postularent: ecce mox in eadem Sessi. 1. in hoc. Sess. 1. 1. Pet. 3.

IV. Absurdum erupit absurdissimus Prædicans: *Apostolus*, inquit, *manifestissimè contradicit explicationi vestræ, imo de actu cõfessionis, & nõ solũ de animo prompto loquitur.* Et addidit, pro insigni sua impudẽtia: *Nos judiciũ committimus toti Auditorio.* Annon hoc est Prædicanticè scripturã tractare? Annõ hoc est cõtra expressam literã, contra sensum Sess. 1.

mani-

manifestum, contra omnium interpretationẽ, Scripturam ad proprij figmenti suffragium trahere. Aut potius, contra propriam mentẽ, insolentissime Scripturas ventitare. Textus habet, *parati*. Interpretes omnes, tam noui, quam veteres, tam hæretici, quam Orthodoxi, hactenus locum illum de præparatione animi intellexerunt. Et Hunnius clamare audet, Apostolum *manifestissimè contradicere huic explicationi*. Nec hoc tantum, sed quasi jam, optime dicta causa, judicium totius Auditorij appellare nõ timet. Nihil hic addo amplius, lector vel ex hoc loco de fronte huius Prædicantis judicet, & simul intelligat, qua fide isti scripturas tractent.

Sess. 1. V. Est eiusdem Hunnij, eadem Sess. 1. Paruulos veteris Testamenti, ante diem octauum ex hac vita decedentes, vt & fœmellas omnes ante annos discretionis defunctas, sine vllo alio remedio externo, hoc ipso quod ex semine Abrahæ essent, vi promissionis diuinæ, Genesis decimoseptimo: *Ero Deus tuus & seminis tui*, saluatos esse. Quod absurdissimum esse, supra ad obiectum nobis primum Absurdum satis ostensum est. Sequitur enim hinc manifestè, Deum inclementius affectum erga infantes Christianorum noui Testamenti, quam erga infantes Iudæorum veteris Testamenti: Relat. fol. D. 3. Quod quidem ipse Prædicans meritò pro magno absurdo habet. Id autem consequens esse ex eo euidens est, quod hac ratione dicendum est, *omnes omnino infantes* (saltem fœmellas) Iudæorum, qui ante annos discretionis morerentur, saluatos fuisse: Cum tamen ipsorum Aduersariorum confessione, non omnes omnino infantes Christianorum (etiam fœmellæ) ante vsum

vſum rationis defuncti ſaluentur, licet in *caſu neceſſitatis*, quando nimirum infans baptizari non poteſt, ſine baptiſmo infantes ſaluari, aſſeruerint. Sed hoc ipſum falsò & abſurdè, vt mox dicetur. Aut prodeat tandem Hunnius, & apertè ſe prodat, cuius Spiritus ſit, atq; Caluiniſmum, quem hactenus texit, apertè oſtendat, dicatque diſertè, baptiſmum non eſſe infantibus medium neceſſarium ad ſalutem, quin vero omnes Chriſtianorum infantes, etiam ſine baptiſmo defunctos, ſaluari. Sed quid tantopere Moſaico Doctori, ſuam erga *Moyſis cathedram* propenſionem, & beneuolentiam exprobramus?

VI. Abſurdum eiuſdem Hunnij, in eadem Seſs. 1. eſt, quod infantes noui Teſtamenti in caſu neceſſitatis, ſine baptiſmo ſaluentur. Quod non ſolum repugnat Scripturæ: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto non poteſt introire in regnum Dei*: ſed etiam toti orthodoxæ antiquitati; cuius rei teſtem omni exceptione maiorem ſupra adduximus S. Auguſtinum, qui maxima verborum energia id dogma condemnat, aitq; eum, qui hoc dixerit, *totã condemnare Eccleſiã & contra Apoſtolicam doctrinam venire.* Taceo, quod pronunciatum illud Hunnianum Auguſtanæ confeſſioni repugnat, in qua diſertè dicitur; *De baptiſmo docent, quod ſit neceſſarius ad ſalutem*, & infra: *Damnant Anabaptiſtas, qui improbant baptiſmum puerorum, & affirmant, pueros ſine baptiſmo ſaluos fieri.* Sed benè eſt, quod Auguſtanam confeſſionem non habent pro verbo Dei.

Seſ.1.

Cap. 6. Reſ. ad 2. Abſurd.

Ioan. 8.

VII. Abſurdum conſtituit inſignis illa conſequentia Hunnij, in eadem ſeſſione prima. Latro in cruce ſine baptiſmo ſaluatus eſt; ergo etiam infantes

Confeſs. Auguſt. art. 9.

in casu necessitatis, sine remedio externo, & quidem hoc tempore, sine baptismo saluari possunt. Et nonne hæc bona consequentia? quæ in has duas bellissimè resoluatur? Eo tempore, quo baptismus nondum obligabat, quo necdum ad baptizandas omnes gentes missi fuerant Apostoli, sine baptismo homines saluari poterant: ergo etiam saluari poterunt eo tempore, quo baptismi præceptum obligare iam dudum cœpit. Secunda. Latro per proprios actus fidei, pœnitentiæ, charitatis, &c. salutem consequutus est, sine baptismo: qua ratione etiamnum adulti, in casu necessitatis saluari possunt: ergo etiam infantes pari modo, iam sine baptismo saluari poterunt, tametsi nullum actum fidei, pœnitentiæ, aut charitatis elicere possint. Quis acumen Hunnij non obstupescat?

Sess. 1. & 2.

Sess. 7. & 11.

VIII. Huc etiam spectat similis consequentia Hunnij, cum ab exemplo S. Ioannis Baptistæ, in hunc sensum argumentatus est. *Christus in Ioanne Baptista nondum circumciso, nondum baptizato, operatus est gratiam Spiritus Sancti* & actualem fidem accendit: Cur ergo non etiam in alijs infantibus dum baptizantur, aut etiam absque baptismo in casu necessitatis? Si fortè neges Consequentiam, eamque rationem assignes, quod id sancto Ioanni per singulare priuilegium contigerit, vtpote, qui tum ob hanc, tum ob alias causas, cæteris inter natos mulierum prælatus sit, iam adest cum sua probatione Hunnius. *Nam quod DEVS extra suum communem ordinem, operatus est in Ioanne, virtute immediata sua, id ordinariè operatur in infantibus, qui ad baptismum*

Sess. 11.

mum perueniunt, vt regeneret eos; & in illa regeneratione fidem in cordibus ipsorum accendat. Luc. 7.

Ecce quàm propensè cupiant Prædicantes suos infantes Ioanni Baptistæ, *quo non erat maior inter* natos Mulierum, magnitudine æquare, si possint? Et fortasse possint, apud suos rusticos, qui rem ex visu æstimantes, cælestem solis orbem sui aratri rotula non maiorem esse iudicant.

IX. Inter absurditates Prædicanticas locum iure sibi vendicat, egregia illa scripturæ citatio à Iacobo Hailbronnero facta: *Ioannis quinto. Est qui iudicabit vos, Moyses*: cum in textu habeatur. *Est qui accusat vos Moyses*, in græco κατηγορῶν. Sess. 1. fin.

Et vbi, mi Iacobe, legisti illud in Malachia, quod Sacerdotes *in sententia & lege, hoc est, in doctrina & fide errarint*? Vt tu in Colloquio eadem Sessione prima dixeras. Tua verba hæc sunt. *Malachiæ 2. dictum non restringitur solummodo ad mores, sed etiam extenditur ad doctrinam: testatur enim contextus, non tantum de moribus, sed etiam de doctrina ibi actum esse. Nam* DICITVR, QVOD IN SENTENTIA ET LEGE, *hoc est, in doctrina & fide errârint ac populum seduxerint.* Vbi legisti, mi Iacobe, illud in Exodo, quando in eadem Sessione prima tribuisti Moysi hæc verba quasi ad Aaronem loquenti: *Tu fuisti author illius peccati, &c.* verba tua hæc sunt: *Aaron Pontifex author & suasor fuit illius idololatriæ, vt apparet ex historia Exod. trigesimo secundo. Vbi totum illud negotium potissimum Aaroni*

Append. Protocol. lat. *tribuitur.* *Ideo à fratre arguitur:* TV FVISTI AVTHOR ILLIVS PECCATI, &c. Itanè tibi placuit, Iacobe, scripturas deprauare, eisque falsò tua verba, ac somnia affingere? Et tamen bonus vir, suo suorumque symmystarum nomine, vsque adeo conqueritur, non omnia scripturæ loca in Colloquio citata, in Protocollo integrè descripta fuisse. Doleo certè vestram vicem pariter & nostram. Inueniremus enim sine dubio plura eiusdem notæ scripturæ testimonia à Prædicantibus adducta, magno cum eorum præconio iam à nobis commemoranda.

Esaiæ. 8. Sess. 2. X. Absurdum est, quod in illo dicto Esaiæ *pro viuis à mortuis*? Deus nequaquam ableget homines ad viuos, vel Sacerdotes, sed ad ipsum Deum viuentem, vt dicebat Huunius, si fortè obijcias Prædicanti, viuos dici pluraliter, non viuum, ac proinde ad Deum vocem hanc referri non posse, facilè respondebit Prædicans, paruam esse differentiam inter Vas & Va: Aut certè plures Deos recipere non magnopere recusabit. Hæc ergo prima decas esto.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

DE SECVNDA DEcade absurdorum Prædicanticorum.

VNDECIMVM absurdum vtriusque Prædicantis est, quo pertinacissimè contendebant,

bant, Mosen non propriè fuisse sacerdotem, sed illa duntaxat generali ratione, qua, iuxta Pseudoeuangelicum dogma omnes Christiani sunt Sacerdotes, atque adeo non magis, quam aliquis è Palatinatu rusticus. Si obijcias illud ex Psalmo, *Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius.* Vbi pari, imo priore loco cum Aarone inter Sacerdotes numeratur Moyses, respondebunt, hinc nihil concludi, quia in Epistola ad Hebræos Moyses non appellatur Sacerdos. Si instes, attamen nec ibidem negari, respondebunt negationem tacitè subintelligi. Si quæras, quo authore? Respondebunt, seipsis. Si amplius vrgeas à Moyse Aaronem ordinatum esse, ac proinde Moysen verè Sacerdotem fuisse, & quidem Aarone maiorem, rursus ad Epistolam ad Hebræos recurrent, in qua cum Moyses sacerdos non dicatur, nequaquam propriè sacerdotem dici posse, quicquid alibi dicatur. Si rursum obijcias, à sanctis Patribus Moysen propriè sacerdotem fuisse iudicatum, in quibus S. Augustinus *Aaron*, inquit, *frater ipsius fuit, quem ordinauit etiam Sacerdotem, & ibi quidem non videtur sacerdos esse, nisi Aaron. Apertè enim in illis literis Aaron nominatur sacerdos Dei: De Mose non ibi dicitur, quod Sacerdos erat. Sed si hoc non erat, quid erat? Nunquid maior Sacerdote esse poterat? Exprimit Psalmus iste, quia & ipse Sacerdos erat, Moyses & Aaron in sacerdotibus eius. Ergo erant illi Domini Sacerdotes. &c.* V... in eandem sententiam alibi sic ait, *Cum videatu... Aaron cæpisse summum sacerdotium, quid putamus fu... Moysen? Si ergo Sacerdos non fuit, quomodo per illum omnia ea gerebantur? Si autem fuit, quomodo summum sacerdotium*

Sess. 2.
Psalm. 98.
Exod. 40. Leuit. 8.
August. in Psal. 98.
August. lib. 3. qq. super Leuit. q. 23.

 ab

ab eius fratre cœpisse definimus? Quanquam etiam Psalmus ille, vbi dictum est, Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius, auferat dubitationem, quod Sacerdos fuerit & Moyses, &c. Et infra: Ambo ergo, inquit, *tunc summi Sacerdotes erant, Moyses & Aaron. An potius Moyses, Aaron verò sub illo? An & ipse summus propter vestem Pontificalem, ille vero propter excellentius ministerium? Nam à principio ei dicitur: ipse tibi quæ ad populum, tu illi quæ ad Deum.* Idem scribit Isidorus, qui cum dixisset Aaronem fuisse summum Pontificem veteris Testamenti, addit: *sed forsan quæritur & hoc; cuius figuram faciebat Moyses? Si enim filij Aaron Presbyterorum figuram faciebant, & Aaron summi sacerdotis, id est Episcopi, Moyses, cuius? Indubitanter Christi. Et verè per omnia Christi, quoniam similitudo fuit Mediatoris Dei, qui est inter Deum & hominem Iesus Christus, qui est Dux populorum, verus Princeps sacerdotum, & Dominus Pontificum, &c.*

Exod. 4.

Si ergo Moyses figuram Christi per omnia gerebat, certè sacerdos fuit Moyses & Princeps sacerdotum, atque adeo summus Pontifex, vt Christus, &c. Si ergo sanctum Augustinum, aliosque Patres Hunnio obijcias, facile respondebit, Spiritum Sanctum non esse ad certos homines alligatum, spirare vbi vult, itaque nullius arrogantiæ esse ab Augustini sententia hac in parte discedere. Sibi enim aliter videri, &c. Et tunc Hunnio quid porro facies? Ergo ne Spiritum Sanctum alligatum illi esse credas?

Sect. 11. XIII. Quòd omnino Aaron, nō populus author fuerit Idololatriæ, cū tamē hoc à Scriptura, à sanctis Patribus, ab ipsorum Pseudoeuangelicorum doctrina sit alienum, vt supra satis demonstrauimus. Huc spectat, quod identidem significarunt, Aaronem, non tantum permisisse seu concessisse ea, quę ad procurandum

dum & promouendum Idololatricum cultum spectarent, sed ipsummet ea omnia fecisse, ipsummet altare ædificasse, vitulum conflasse, festiuitatem Idololatricam proclamasse. Qua ratione, vt apparet, Aaron simul factus est Prædicantibus & Cæmentarius, & Aurifaber, & præco; summus plane non tam Pŏtifex, quã Artifex.

XIII. Imperitissimè asseruit Iacobus Hailbronnerus, Aaronem iam tunc, cum Idololatria illa à populo perpetraretur Exodi 32. fuisse à Deo constitutum & consecratum sum̃um sacerdotem. Quod est contra apertissimam scripturam Moysis, ex qua liquidò cŏstat, Aaronem postea primum à Moyse summum Pontificẽ ordinatum & consecratum fuisse. Ita enim habetur Exodi 40. *Applicabisq́ Aaron & filios eius ad fores tabernaculi testimonij, & lotos aqua indues sanctis vestibus, vt ministrent mihi, & vnctio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat.* Et adhuc clarius Leuit. 8. vbi cum Dominus hoc idem mandatum repetiuisset, his verbis: *Tolle Aaron cum filijs suis, vestes eorum, & vnctionis oleum, vitulum pro peccato.* &c. Moyses id tandem transactũ dedit, vt his verbis scriptura apertè testatur: *Tulit* (Moyses) *vnctionis oleum, quo liniuit tabernaculum cum omni supellectili sua, &c. Quod fundens super caput Aaron, vnxit eum & consecrauit.* &c. Quis ergo non videt, Aaronẽ tunc primum fuisse consecratum, licet Moyses accepisset anteà mandatũ de consecrando Aarone. Nec proferri vel vnus interpretes poterit, qui dixerit, Moysen iã tũc Exo. 32. fuisse sacerdotẽ ordinatũ. Audiamus ex Aduersariorũ parte, Simlerũ in illum Exodi locum, *Aaron,* inquit, *nondũ fungebatur Pontificatu, nondum erat consecratus. &c.* Ne quis vero existimet, iniuriã fieri infelici Hailbronnero, ponam hîc eius verba: *Aaron,* inquit, *tanquam summus*

mus ſacerdos à DEO conſtitutus, rogatus erat, vt in diuturna illa Moyſis abſentia, cultum aliquem conſtitueret. Et infra: *Ad ſecundam ſolutionem*, inquit, *quod non fuerit Pontifex, reſpondeo eſſe mirum dictu. Iam erat conſtitutus & ordinatus ſingulari authoritate & mandato ſummus Pontifex. Exod 24. & 28.* Scilicet Moyſes adhuc in monte exiſtens, vbi acceperat mandatum de ordinando Aarone, eum abſens abſentem ordinauit. Vides hic lector quàm doctè, quàm ingenuè ſcripturas interpretentur Prædicãtes. Duos fere dies Aaronis exemplum, circa vituli aurei cultũ, quoquo modo peccantis, ad infirmandam ſummi Pontificis authoritatem identidem inculcabant Prædicantes, cum tamen Aaron necdum ſacerdos ordinatus aut conſecratus fuerit.

XIIII. Locum obtinet egregium illud Hunnij, jam non Chriſtiani, ſed Moſaici Doctoris pronunciatum, quo palam edixit: *cathedram Moyſis non eſſe temporalem, ſed ÆTERNAM.* Itaq; faceſſat Chriſtus, valeat Euangelium, regnet Moyſes, viuat Moſaicus Doctor, & non jam peccata ſoluat, ligetue, quod noui teſtamenti ſacerdotibus commiſſum eſt, ſed judicet *inter lepram, &*
Ioan.20. Deut.17. *non lepram, inter ſanguinem & ſanguinem.* Quod ſi ſupremus judex ſanguinis eſſe forte non poterit, fiat ſaltem miniſter, & rogatus cauſam dicat: Colloquium Ratiſbonenſe me ad hanc dignitatem euexit. Digna profecto vox illa tali ſtipendio, dignum patella operculum.

Seſſ. 3. XV. Non leue quoque Prædicantium Abſurdum eſt, quod tanta importunitate à noſtris exegerunt, vt contra inductionem à ſe factam, & à noſtris nunquam negatam, proferrent inſtantiam, eamque con-

contrario aliquo exemplo infringerent. Qua de re à me fusius actum est in Relatione. Relat. part. 1. cap. 6

XVI. Nec tacenda est miserabilis illa Prædicantium calamitas, qua, cum maximo labore frustra probassent propositionem sui Syllogismi minorem verissimam, de maioris falsissimæ probatione nihil penitus cogitârunt. *Putabam*, inquit infelix Hailbronner, *maiorẽ non negatum iri.* Et post horam fere eandem næniam flebiliter repetens Hunnius, *Præter exspectationem nostram*, inquit *petierunt Aduersarij probari sibi non minorem, sed maiorem.* Quamobrem etiam in probando manifestè defecerũt, ita vt cum varia quidem diuerticula quæsiuissent, tandem tamen suam illam miserabilem propositionem, vento credere coacti fuerint. Quocirca eis quoq; gratulatus sum, quod suam illam propositionem vanam & inanem, nec vlla ratione probabilem esse, animaduerterent. Sess. 4.

Sed Hunnius ægre ferens, tam apertum dedecus suum suorumq; palam notatum, etiam ab authore epistolæ illius, quam suis notationibus condecorauit, multis rursum verborum fulcris suam illam maiorẽ propositionem sustentare intitur. Quocirca eam quoq; ipsam denuo recitat. *Qui reprehendit, & punit eos omnes, qui à scripto Dei verbo quacunq; intentione recedunt, & vel ad dextram, vel ad sinistram declinant, is ipso facto perspicuè testatur, scriptum Dei verbum esse vnicam nomam, ad quam omnis cultus conformari debeat.* Hæc est illa miserabilis propositio. *Iudicent jam omnes pij*, inquit Hunnius, *annon propositio illa per sese manifesta sit, & immota?* Imo planè judicent non tantum omnes pij, sed quicunq; vel rationis scintillam habent. Non dubiè Hunnius cum suo Iacobo Hailbronnero nigrum calculũ auferet. Hunn. not. fo. C. 2

Sed audiamus, quæso, quanto fuco exornet hanc propositionem Hunnius, vt veritatis speciem præferre videatur. *Declaretur*, inquit, *res exemplo simili, & arbitri deligantur Iureconsulti, vel quicunq; alij viri intelligentes. Si quis Monarcha, puta, Nabuchodonosor leges in suo imperio promulget obseruandas, & Præfectis ac Iudicibus suis serio & strictè præcipiat, ne in judicandis causis ab earum legum præscripto recedant, quacunq; intentione, & nec ad dextram vel sinistram ab illis deflectant: reprehendat insuper & puniat omnes eos, qui secus faciunt: hic ego vos legum atq; jurisperitos appello, annon is Monarcha facto ipso testatum reddat, quod velit leges illas in judicandis causis attendi & agnosci pro vnica norma judicationis causarum?*

Nam si non vellet pro vnica norma haberi, concederet vtiq; ab ijs legibus interdum deflectere, & ex aliis aliorum regum statutis aut legibus pronunciare. Quia vero suos Præfectos ad suas leges præcise vult adstrictos, ita vt sub denuntiata pœna, ne latum quidem vnguem ab illis recedere fas sit, quis (per Deum immortalem) tam sit vecors aut stupidus, qui non protinus inferat, nullam aliam eis in dijudicatione causarum normam relinqui, aut permitti?

Nunc fiat applicatio. Quoniam summus omnium Rex & Monarcha Deus, inter Israëlitas expressè sanxit, Deuteronomij quarto, quinto, & duodecimo ne à verbo suo, per Mosen scripto, recederetur, quacunq; tandem intentione, & vetuit vel ad dexteram, vel sinistram ab eo declinari: puniuit etiam, qui vel dextrorsum, vel sinistrorsum, à verbo seu lege scripta recesserũt: quis nisi ex poculo Babylonicæ meretricis extremè ebrius inficias eat, ἀποδεικτικῶς inferri, quod scriptum illud Dei verbum constituatur à Deo in populo suo Israëlitico, vnica norma dijudicationis controuersiarum

Reli-

Religionis, & cultuum? Apud homines non præfractos pluribus verbis opus non est. Ita Hunnius.

Sed dicere vix possum, mi Hunni, quam turpiter hallucineris. Ita vel incredibilis impudentiæ tuæ me tædet, aut stoliditatis miseret. Certè quidem nimis stolidus es, si vel hoc ipso exemplo non intelligas, quàm propositio illa vestra verè miserabilis nullam manum medicam admittat: vel certe insigniter impudens, si re quidem, vt suspicor, cognita, fucum tamen nihilominus lectori facere conaris, ne turpitudinem illius propositionis apertè intueatur. Et vis videre, Hũni, quam hoc ipso exemplo miserabilis illa tua propositio penitus euertatur? Attende, rem verbis à te mutuatis & quidem paucis mutatis declarabo.

Iudicent igitur *omnes pij*, & qui vel micam rationis habent, *annon propositio illa per sese* & in se omnibus modis sit insulsa, vana, falsa, nulla ratione probalilis in omnem sempiternitatem. *Declaretur res exemplo simili & arbitri deligantur Iureconsulti, vel quicunq; alij viri intelligentes. Si quis Monarcha* puta Iustinianus imperator, (vt reipsa accidit) *leges in imperio promulget obseruandas*, verbi gratia illam, *Raptores virginum vel viduarum, vel diaconissarum, quæ Deo fuerint dedicatæ, pessima criminum peccantes, capitis supplicio plectendos esse decernimus &c.* Et rursus eam, quæ mox subiungitur: *Vt non liceat parentibus impedire, quominus liberi eorum volentes Monachi aut Clerici fiant, aut eam ob solam causam exhæredare. &c. Et simul idem Iustianus Præfectis ac Iudicibus serio & stricte præcipiat, ne in iudicandis causis ab earum legum præscripto recedant, quacunq; intentione & nec ad dextram vel sinistram ab illis deflectant, reprehendat insuper & puniat omnes eos, qui secus faciunt:* Cod. de Epis. & Cler.

(vt defacto etiam circa duas illas leges cauit Iustinianus) *hic ego vos legum atq; Iurisperitos appello*, an is Monarcha *hoc ipso facto testatum reddat*, quod velit leges illas in judicandis causis attendi & agnosci *pro vnica norma dijudicationis causarum*, seclusis omnibus alijs legibus, & statutis, à se mediatè vel immediatè alio tempore latis, aut ferendis.

Nequaquam enim, si non vellet pro vnica norma haberi, ideo *concederet vtiq;*, ab ijs duabus legibus *deflectere*: Cum nec ab vna quidem sua lege (Etsi ea minimè sit vnica norma controuersiarum) desciscere seu deflectere fas cuiquam esse velit, etsi nihilominus interim procul dubio judices respicere quoq; debeant ad alia statuta seu leges, alijs temporibus à se mediatè vel immediatè latas. *Quis itaq;, (per Deum immortalem) tam sit vecors aut stupidus*, qui ideo protinus inferat, *nullam aliam Præfectis in dijudicatione causarum normam relinqui aut permitti*, quod eos ad duas illas leges, (non tamen præcise, vt malitiose subfarcit Hunnius) *vult adstrictos, ita vt sub denunciata pœna ne latum quidem vnguem ab illis recedere fas sit.*

Nunc fiat applicatio. Quanquam *summus omniũ Rex & Monarcha Deus inter Israëlitas expresse sanxit Deuter.* 4. 5. 12. *ne à verbo suo per Moysen scripto recederetur quacunq; tandem intentione, & vetuit vel ad dextram vel sinistram ab eo declinari. puniuit etiã, qui vel dextrorsum vel sinistrorsum à verbo seu lege scripta recesserunt, quis nisi* vel *extremæ dementiæ* tenebris cœcatus, aut Saxonica cereuisia affatim *ebrius*, asserat aut credat **ἀποδεικτικῶς** *inferri, quod scriptum illud Dei verbum constituatur à Deo, in populo suo Israëlitico, vnica norma dijudicationis controuersiarum religionis & cultuum. Apud homines non præfractos,*

fractos, non ſtultos, *pluribus verbis opus non eſt.* Quia vero Hunnius probè aduertiſſe videtur, ſuo illo exemplo jugulari, non probari propoſitionem illam maiorem, verè abſurdam, inſulſam, miſerabilem, ideo nouo eam argumento, quod in Colloquio productum non eſt, etſi nouum videri nolit, ſuſtentare nititur. *Nihil omninus,* inquit, *vt etiam præfracti Pontificij reuincantur euidentius, attendatur hæc maioris noſtræ propoſitionis inuicta declaratio: ſi quicunq; reprehenſi ſunt in ratione cultus, ideo ſunt reprehenſi, quia præter verbum Dei ſcriptum alios ſequuti ſunt cultus. Et ſi viciſſim nemo quiſquam à Deo vnquam reprehenſus aut punitus eſt ideo, quod (neglectis traditionibus) juxta ſolum ſcriptum verbum coluit Deum Iſraëlis: Sequitur* ἀδαμαντίνως, *hoc ipſo ſcriptum Dei verbum, pro vnica norma religionis & cultuum commendari. At prius,* inquit, *in minore noſtra propoſitione Syllogiſmi Ratisbonæ propoſiti, teſtimonijs & exemplis ſcripturæ ita ſtabilitum fuit, vt minorem illam tanquam veram, ipſi quoq; aduerſarij prolixè concederent. Stantibus ergo præmiſſis, ſtat inconcuſſa noſtri Syllogiſmi concluſio, quod verbum Dei ſcriptum fuerit Iſraëlitis, atq; etiamnum eſſe debeat nobis quoq; norma vnica Religionis & cultuum.*

Notat. Hunn. f. C. 3

Ita Hunnius, qui an ſobrius hæc ſcripſerit, non facile dixero; equidem vix mihi perſuadeo, niſi quia fortè Hunnius talis eſt ſobrius, quales alij ſolent eſſe ebrij, hoc eſt inſigniter **ἄγνοιας & ἄνοιας** etſi minimè **ἀγχινοίας** Certe quidem vtrũq; illud, ſiue quod ea ſit *declaratio* miſerabilis illius propoſitionis maioris, quam in Colloquio propoſuerunt aduerſarij: ſiue quod minor huius argumenti jam ab Hunnio confecti in Colloquio exemplis ſcripturæ ſit *roborata,* & à nobis *prolixè conceſſa,* vtrumq; hoc, inquam, nimis apertum & craſſum

est mendacium fronte Hunniana dignum. Nam qua ratione declarationem propositionis illius vocare audet eam, in qua non solum propositiones malè conuertuntur, & antiqui termini etiam quoad sensum peruertũtur, sed etiam insuper alij planè noui assumũtur. Declaro hæc omnia. Primo enim in propositione illa prioris argumenti. *Qui reprehendit et punit eos omnes*, vel vt eam ad phrasin huius recocti argumenti magis accomodemus, si omnes illi, qui à scripto Dei verbo, quacunq; intentione recedunt, & vel ad dextrā vel ad sinistram declinant, reprehenduntur & puniuntur: In hoc, inquam, hypotheticæ propositionis antecedente, subiecti locum obtinet illud, *omnes qui à scripto Dei verbo recedunt*: Prædicati vero illud, *reprehenduntur, & puniuntur.* In hac autem noua Hunnij propositione, illud *reprehenduntur* in subiecti locum transfertur. Et contra illud, *Omnes qui à scripto.* &c. prædicati loco ponitur, idq; per simplicem conuersionẽ, cum tamen affirmatiua vniuersalis, juxta Dialecticas regulas simpliciter conuerti non debeat, sed per accidens. Et vt videat Hunnius, quam magnum ex hac conuersione inter vtramq; propositionem oriatur discrimen, operæ precium erit, vtramq; illam propositionem abiecta hypothetica particula absolutam facere, etiam retentis ijsdẽ terminis. Itaq; prior illa propositio hæc erit: *Omnes qui à scripto Dei verbo, quacunq; intentione recedunt, à Deo reprehenduntur & puniuntur*: Quæ propositio verissima est, nec vlla indiget distinctione. At facta conuersione, si dicamus: *Omnes qui reprehenduntur à DEO, à scripto DEI verbo recedunt*, sanè distinctione opus est, ne significari videatur, nullum vnquam reprehensum esse, q̃ à traditione seu *verbo non scripto* recesserit. Se-

Secundo factam esse terminorum immutationem, etiam quoad sensum, manifestè patet. Nam pro illo termino prioris propositionis, *qui à scripto Dei verbo quacunq; ratione recedunt, & vel ad dexteram vel ad sinistram declinant*, ponuntur in hac recocta Hunnij propositione hæc verba: *Qui præter verbum Dei scriptum alios secuti sunt cultus*, quæ profecto sensum habent diuersissimum, vt ex eo euidens est, quod retentis prioribus terminis, propositio minor verissima est, nimirum quòd puniantur omnes, *qui à scripto Dei verbo quacunq; ratione recedunt, & vel ad dexteram vel sinistram declinant*. Adhibitis autem nouis Hunnij terminis, propositio minor falsissima est, nimirum quòd puniantur à Deo omnes, qui *præter* (non cõtra) *verbum Dei scriptum alios sequuti sunt cultus*, cum multi cultus honestissimi & sanctissimi sint, qui tamen in scriptura apertè non continentur, sed ex sola traditione non scripta habentur. Itaq; manifestum mendacium est, argumenti huius ab Hunnio recocti, propositioнē minorem, vel in Colloquio *probatam*, vel à nobis *concessam* fuisse, cum potius disertè negata sit, & ex instituto defensum, *paschatis obseruationem*, similesq; noui Testamenti obseruationes, cultus esse Deo gratissimos, etsi in scripturis minimè contineantur.

Tertiò nouos quoq; terminos suffarcinatos esse, per se quoq; clarissimum est. Additur enim in illo Hunnij recocto Syllogismo integrum membrũ, quod nec quoad verba, nec quoad sensũ in priore illa propositione miserabili continebatur, nimirum istud. *Si nemo quisquam à Deo vnquam reprehensus aut punitus, ideo quod (neglectis traditionibus) juxta solum scriptum verbum coluit Deũ Israelis*, quo termino assumpto, rursus falsissima est minor illius

argu-

argumenti propositio, nimirum ista, *nemo quisquam à Deo vnquam reprehensus, aut punitus est ideo, quod (neglectis traditionibus) juxta solum scriptum verbum coluit Deum Israëlis*: Cum nos ipsi ad hanc propositionem refellendam, in Colloquio nõ vno exemplo demonstrauerimus, punitos, aut pœnæ obnoxios fuisse, etiam eos, qui traditiones non scriptas ad Dei cultum pertinentes neglexissent. Ita enim sine dubio pœnæ obnoxij fuerunt illi, qui diuina fide non crederent libros Moysis esse canonicos, etsi id quidẽ ex sola scriptura, nõ colligeretur. Ita punitus erat ille Propheta, qui ob violatum præceptũ traditum, non scriptum, à leone peremptus fuit. Ita Rechabitæ pœnæ obnoxij futuri erant, si à traditione sui Patris non scripta recessissent. Vt taceam multas interim festiuitates, in honorem vtiq; Dei à Magistratibus Israëlitici populi, sine vllo scripti verbi mandato institutas, quas tamen vtiq; impunè violare non licebat.

Hunn. mend. Vides igitur Hunni, quàm mendaciter dixeris, primò hunc tuum Syllogismum esse *declarationem* (dicere debebas, deprauationem) prioris argumenti à vobis in Colloquio propositi. Secundo minorem tui argumenti ita recocti à vobis in Colloquio esse *probatam*. Tertio eam à nobis esse *concessam*, cum sæpius à nobis, & quidem ex instituto negata & expugnata sit. Vade nunc, & inter tuos discipulos proclama, à te argumentum illud à vobis in Colloquio propositum, cuius propositione maiore negata, in extremam calamitatem incidistis, vindicatam, & tanquam inuictam demonstrationem firmissimè corroboratam esse.

Neq; dissimulare hic possum, quòd in Colloquio iti-

itidem eadem fraude simile argumentum, pro vestro illo priore obtrudere conabaris, sed maturè à nostris facessere jussus es. Quod verò in tuis notationibus scriptorem illius Epistolæ ideo falsitatis & mendacij arguis, id me parum mouet, cum vtiq; te assertore mētiri debeat ille, qui tua mendacia redarguit. Id in hac re optimum est, quod simplici accusationi mendacij standum non est. Ille vicerit, qui probârit. Hunnius certe suam accusationem nulla ratione probat, nisi quod perfricta fronte ad Protocollum se remittit. An ego probarim, Hunnium esse mentitum, tum ex dictis, tum ex Protocollo lector facile judicabit.

XVII. Absurdum Prædicantium, est insignis illa probatio Iacobi Hailbronneri, qua suam illam propositionem miserabilem, & plane labascentem fulcire conabatur. *Alias enim*, dicebat infelix Prædicans, *pœnæ diuinitus inflictæ fuissent frustraneæ*, quasi verò ideo frustra puniantur trāsgressores alicuius, vel aliquarum legum, tametsi illa vel illæ leges non sint vnica norma actionum. Sess. 4.

XVIII. Imo vlterius sequitur, pœnas illas esse *iniustas*, si absurdo Prædicanti credimus. Sed nihil mirum est ita delirasse miserum, quando in tantas angustias tam inopinato coniectus, nesciebat, quid loqueretur. Sess. 4.

XIX. Absurdum est illud eiusdem Hailbronneri dictum, *nullum fuisse punitum, propter transgressionem legis non scriptæ*. Quod euidentissimis exemplis in Colloquio refutatū est, quorum aliqua paulo supra recitauimus. Plura diximus alibi. Sess. 4.

XX. Est illa insignis victoriæ palma, seu potius æterni Relat. Part. 1. cap. 8.

dedecoris nota, quam è Colloquio reportarunt aduersarij, imprimis autẽ Hunnius (Hailbronnerus enim tum temporis raucus culpam non sustinet) dum à Catholica parte honestissimis & æquissimis conditionibus, ad peculiare certamen prouocati, tergum prouocantibus verterunt, de qua re alibi à me dictum est.
Relat.p.1.c.9. Vbi etiam responsum inueniet Hunnius, ad suas illas friuolas rationes, quas suæ tergiuersationi in suis notationibus prætexit. Atq; hæc esto secunda decas absurdorum Prædicanticorum.

CAPVT DECIMVM septimum.

DE TERTIA DECADE ABsurditatum, quas in Colloquio Prædicantes enixi sunt.

VIGESIMVM primum ordine, sed in hac decade primum locum jure sibi vendicat, absurdum illud Hailbronneri pronunciatum, Sessione septima, quo dicebat, extra Synagogam in veteri Testamento, non fuisse vllam *aliam veram Ecclesiam*. Cum tamen constet, fuisse plurimos fideles & sanctos extra Synagogam Iudaicam, verbi gratia, Iob cum sua familia, Cornelium Centurionem, &c. Vnde Synagoga vniuersalis & Catholica Ecclesia non erat, quæ nimirum ambitu suo omnes fideles complecteretur, vt Christiana.

XXII. Ab-

XXII. Absurdum. Est bellum illud pronunciatum Hunnij, quando asserebat, nullos *in primitiua Ecclesia* vixisse Prophetas, quorum vox coram audiri potuisset, qui error turpissimus euidenter etiam in Colloquio refutatus est, ex Epistola 1. ad Cor. 12. Et ad Ephes. 4. Vbi de Prophetis Ecclesiæ primitiuæ fit aperta mentio. Vt interim alia testimonia scripturæ hac de re luculentissima taceantur: certè ipsemet Hunnius Sancti Ioannis Apocalypsin, velut Euangelicam noui Testamenti *Prophetiam* veneratur. Sed forsan Hunnio imprudenti hoc dictum excidit. Sit ita. Falsò quidem ac imprudenter dictum esse, nemo dubitat. Sess. 6.

XXIII. Ne quid tamen præter consuetudinem passum existimemus Hunnium, ecce rursus noua absurditate auctus prodit, dum nimirum ex scriptura hanc egregiam consequẽtiam conficit: Sanctus Paulus ait, se non *audere aliquid loqui eorum, quæ per se non effecerit Christus,* hoc est, falsò de se iactitare quippiam, quod tamen per se Deus non effecisset: Ergo etiam Pontifex non poterit ferre leges Ecclesiæ. Aut si mauis: ergo traditiones extra scripturam sunt reijciendæ, vel potius, ergo scriptura est vnica norma seu Iudex controuersiarũ fidei & religionis. Si obijcias, attamen etiam, Apostoli extra scripturam condiderunt nouum decretũ, nouãq; legem in Ecclesia tulerũt, de abstinendo à sanguine & suffocato. Respõdebit forte Prædicans, quicquid sit de Apostolis alijs (nam nec Luthero illud Apostolorum concilium per omnia placuit) certe Sanctum Paulum diserte testari, se non audere mentiri: ergo nec Põtifex poterit ferre leges. Sed rectiꝰ intulisset Hunius: Sess. 6. Rom. 15. Actor. 15 Lut. in assert. a. 29 lib. de Concil. p. 14

S. Paulus non est ausus mentiri, ergo nec ego audeo mentiri, cur ergo contra propriam mentem & conscientiam, tam absurde scripturas allego, & in alienum sensum violenter rapio.

Sess. 7. & 8. XXIV. Sed nihilo melior est illa seu consequentia, seu scripturæ interpretatio eiusdem Hunnij, qua ex illo

2. Tim. 3. sancti Pauli loco. *Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum &c. vt perfectus sit homo &c.* efficaciter inferri contendebat, solam scripturam esse sufficientem atque adeo vnicam normam &c. Si rationem quæras, inpromptu est, nam vox, *omnis*, significat, *tota*. Vox autem *vtilis*, in proposito significare debet *sufficiens* est. Non credis? sed qui non crediderit condemnabitur. Ridebis? sed Hunnius ringetur. αὐτὸς ἔφα. satis est. Moneantur ergo Typographi, vt impoſterum juxta hanc Hunnij explicationem Calepinum corrigant.

Sess. 7. XXV. Bene est autem, quòd tam diligentur sibi suæq; Mosaicæ cathedræ cauet Hunnius, ne fortassis ea Ecclesiæ Christi præferenda videatur. Itaq; illud S.

1. Tim. 3. Pauli, quando Ecclesiam Christianam pronunciat *co-*

Matth. 16. *lumnam & firmamentum veritatis*, vtpote contra quam *portæ inferorum* nunquam præualituræ sunt, ita leui brachio amolitur Hunnius. Ecclesiam scilicet dici *columnam & firmamentum* veritatis, quia custodit, conseruat, & propagat Sacram scripturam eiq; testimonium perhibet. Quod cum itidem Synagoga Iudaica faciat, salua, atque adeo nō minor eius erit authoritas, quam Ecclesiæ Christi. Ita nimirum Iudæis saluus, & sospes diu viuat Hunnius.

XXVI. Nec tacenda est hoc loco ingeniosa illa Prædi-

dicantium in scripturam commentatio, qua institutũ illud Rechabitarum, non ad Dei cultum, sed ad disciplinam solum quandam domesticam pertinere contendebant. Scilicet multum rei familiaris intererat, vt tam ipsi, quam *filij* eorum *vinum non biberent, domos non ædificarent, vineam & agrum, & sementem non haberent*, vt Rechabitis juxta suum institutum consuetum fuisse testatur Propheta. Mirum certe quod è Prædicanticantium ordine disciplinam hanc domesticam, præsertim in scripturis tam aperte laudatam, hactenus nemo coluit. Sess. 7. Ierem. 35.

XXVII. Sed quam pulchrum est illud aduersariorum epiphonema: *Omnes hæreses sufficienter ex sola scriptura refutari, seposita* omni alia infallibili *Ecclesiæ authoritate* ac traditione, cum tamen ipsimet non semel admiserint, seposita infallibili Ecclesiæ authoritate, siue testificatione, nec sciri quidem posse, an & quęnam sit sacra scriptura. Quomodo ergo, sepositâ Ecclesiæ infallibili authoritate, ex sola scriptura conuinci Hæretici possunt, quando vt ipsa scriptura certo cognoscatur, infallibilis aliqua Ecclesiæ authoritas supponi, debet, sed de hac Prædicantium vertigine supra fusius actum est. Sess. 1.

XXVIII. Quam dextrè Prædicantes scripturas citant, tam belle etiam sanctos Patres allegant. Eius rei argumento esse potest, vt Tertullianum ab ipsis Episcopi Carthaginensis titulo insignitum taceam, q̃ duo sanctorum Patrum testimonia, vt proposito suo, deseruire viderentur in Colloquio deprauarunt, de qua re cum in præfatione posterioris editionis Protocolli Monacensis satis explicatè actum fuerit, non

Vid. Protocoll. post. ses. 8 Responsum nostrum ad testimonia SS. Patrum.

 refert

refert plura dicere. Hoc tantum præterire non debeo, quod ad cæteras fraudes à Prædicantibus commissas adijci debet, eos loca illa à se male deprauata, jam in sui Protocolli editione priore (posteriorem enim nondũ vidi) correxisse, idq; contra ipsius Protocolli apertam testificationem, ex qua liquet, eos à Catholicis, in responsionibus ad testimonia aduersariorum Protocollo publica fide & authoritate insertis, de duabus illis corruptelis, aperte taxatos fuisse, vt etiam in præfatione Monacensis Protocolli annotatum est.

At fortassis obijcient, calami, vel amanuensis lapsu errores illos in citandis sanctis Patribus irrepsisse. Sed imprimis quis credat, calami lapsu pro *correptionem*, scriptum esse, *probationem*? Deinde cui verosimile sit, ita casu deprauationes illas accidisse, vt ne consulto quidẽ, ad propositum aduersariorum accomodatius deprauari potuisse videantur? Demum sit ita, librarij lapsu irrepserint mendæ illæ: Sed nunquid ideo, postquam à nobis animaduersæ, & notatæ ac reprehensæ erant, à Prædicantibus pro arbitrio, nec nobis, neq; lectore, vel minimo signo præmonitis, corrigi poterant, aut debebant? Annon supplicare nobis debebant potius, & quidem demissis precibus, vt ante consignatum Protocollum, bona nostrorum venia, ea loca immutare sibi liceret, prout etiam antea semel fecerant, circa alia quædã sanctorum Patrum testimonia male citata, ijsq; authoribus asscripta, quibus asscribi non debebant: qua in re tamen minus erat causæ momentum. Certe quidem vt in ea supplicatione nos difficiles experti non sunt, ita fortassis etiam in hac re parem benignitatem

fuis-

fuissent experti. Sed dedecus erat supplicare: fateor, sed longè maius est jam de fraude notatos vniuerso mundo aut damnandos, aut ridendos exhiberi.

XXIX. Sed quid illud, quod Prædicantes tam absurdi erant, vt negarent sententiæ etiam supremi magistratus legitimi, in aliqua causa dubia, quæ ad eum dijudicanda spectaret, à subditis necessario standum, rati ab eis sui Magistratus sententiam in dubium vocari, atq; etiam discuti posse, jmo etiam reijci, si quando existimarent, eam rationi aut juri parum consentaneam esse. Annon hæc egregia Prædicantium politia est, in qua aut parem, aut maiorem ipso Magistratu judicandi potestatem habeant subditi ? Et quid tandem in tali re Magistratus sententiam intercedere opus est? Si causa certa est & liquida, Magistratus judicium frustra exquiritur: si dubia, tunc etsi interponatur, controuersia nihilo magis finietur. Si enim eà sententia placebit, acceptabitur: Si displicebit, acceptari non debet. Sed de hac re non nihil supra jam dictum est. Sess. 9.

XXX. Optimum est autem illud, quod Prædicantes in Colloquio Ratisbonensi, eò tandem deuenerunt, vt liberam omnibus facerent potestatem à sua fide, an perfidia discedendi, ita quidem, vt ipsis etiam fatentibus, absq; culpa futurus sit ille, qui Catholicæ Ecclesiæ nomen suum daturus sit. Mirabitur forte lector, qua id confidentia asseram. Sed mirari desinet, si propria aduersariorum verba, vt in Protocollo habentur circa finem Sessionis 8. vbi sanctorum Patrum testimonia de perspicuitate scripturæ, ab Aduersarijs adducta referuntur, legerit.

Cum

Cum enim postremum inter ea testimonium adduxissent Gregorij de Valentia, doctissimi nostræ Societatis Theologi, qui docet, eas fidei veritates, quæ absolutè & simpliciter ab omnibus hominibus necessario cognoscendæ & credendæ sunt, perspicuè ferè in scripturis ipsis doceri, mox hæc verba subiungunt aduersarij: *Quandoquidem igitur de ijs dogmatibus, de quibus inter nos & illos controuertiter, perspicuè nihil docetur in sacris scripturis, arbitramur, illa simpliciter & necessario cognoscenda, & credenda non esse.* Cur ergo tanto periculo credatur, quod necessariò credi & cognosci non debet? Sed progrediamur ad quartam decadem.

CAPVT DECIMVM octauum.

DE QVARTA DECADE ABsurditatum, quibus Colloquium decorarunt Prædicantes.

MERITÒ autem primum in hac serie, sed à Capite trigesimum primum locum obtinet, illa Prædicantium curo velocior fuga.

Sess. 3. Nam quis existimasset, tanta in fugiendo pedum celeritate valere Prædicantes? Eius rei insigne documentum præstat illud, quod cum aduersarij, nostrorum argumentis premerentur, quibus asserebant, aliquem in hac vita Iudicem controuersiarum fidei necessa-

necessario admittendum, & agnoscendum esse, à quo tam clara fiat controuersiarum decisio, vt altera pars euidenter sciat, se, quantum est ex parte eius Iudicis, causa cecidisse; altera, se, quantum est ex parte eiusdem iudicis, causam obtinuisse. Iam vero cum id scripturæ sententia non possit, vt experientia quotidiana euidens est, necessario asserendum esse, eam propriè iudicem non esse. Hic cum fuga opus esse, cernerent Aduersarij, quam breui spacio, quam multa spacia confecerunt? Et quorsum ergo fugerunt? Planè ad extremum iudicij diem, palam asserentes, ante diem extremum iudicij, eiusmodi claram & apertã controuersiarum fidei decisionem exspectandam non esse. Sed nequaquam ita Catholicorum casses effugerunt: sed potius vel maximè inciderunt. Vsque adeo enim id ab omni ratione, & suauissima diuinæ bonitatis prouidentia alienum est, vt vel hoc vnicum sufficere possit, ad demonstrandam Prædicanticæ causæ vanitatem, vt quæ non nisi tali absurdo admissò sustineri potuerit.

Et quis vero absurdum esse non videat? quis Ecclesiasticam Hierachiam non protinus suomet pondere collapsuram esse videat, imo vero intimis dissidiis penitus discerpendam, si nec lata quidem & lecta siue audita supremi iudicis sententia, certum & euidens esse possit, quænam ex partibus disceptantibus, quantum est ex parte iudicis causam obtinuerit, quæ amiserit. Si enim in politia temporali nulla tam parua ditio est, quæ sine tali iudice & claram ita sententiam ferente diu salua & incolumis consistere possit, quanto minus Ecclesiastica Respublica, in qua & eò frequen-

tiores controuersiæ oriri facile possunt, quò & per se latius patet, & circa res natura sua abstrusiores & subli miores versatur. Anon igitur infelices isti & noui homines, vix heri primum nati, in Ecclesia regimen constituunt, quod omnibus huius mundi infelicius, & imperfectius est? Annon Deum in cæteris tam prouidum rectorem, in vnius Ecclesiasticæ Hierarchię constitutione plane defecisse blasphemant?

XXXII. Huic non omnino dissimile est illud, quod asserebant, ad suum idipsum deliramentum velut Collyrio quodam persanandum. Christum *in disputatione cum Iudæis non sustinuisse officium iudicis. Et in ijs locis non se, sed Moysen, & verbum suum constituisse Iudicem.* Nimirum Mosaici Doctores, vt Moysen Iudicem assererent, Christum Iudicis officio exuerunt. Et cur, Hunni, rursus hîc audes deprauare scripturã, & Christo tua figmẽta tribuere, quasi Ioã. 5. aut 12. dixerit: *Non ego, sed sermo meus iudicabit vos in nouissimo die.* Vbi illud, *Nõ ego,* Prædicãs?

Sess. 9.

XXXIII. Sed quam bellum, & bellè sibi congruens est illud eorundem dogma: Spiritum sanctum, quatenus præcisè per scripturã loquitur, eo modo quo hactenus semper locutus est, ac proinde si aliud interim nec dicat, nec faciat, non iam quidem ita clarã sententiam ferre, vt altera pars euidenter sciat, se causam obtinuisse, altera se causa cecidisse, sed, ea tamen ratione, quatenus ita præcisè per scripturam loquitur, hoc facere posse. quę est apertissima implicatio cõtradictionis, cum Deus de facto vtiq; faciat, quicquid ea præcise ratione facere potest. Et tamẽ quisquis hoc nõ asserit, is Prædicantib. execrabilẽ blasphemiam asserit. Sed absit vt à blasphemia Deus vindicari non possit, nisi tã stolida & aperta cõtradictione.

Sess. 9.

XXXIV. Ne-

XXXIV. Neque vero illud in extremis numerandũ, quod Hunnius asseruit, obseruationẽ Paschatis Christianorũ nõ esse cultũ diuinũ: In quo rursus Mosaicus Doctor, Mosaicã legem Euangelicæ nõ obscurè anteponit. Scilicet obseruatio Paschatis Iudaici, in quo typicus agnus im̃olabatur, & mentibus Iudæorum repræsentabatur beneficium illud liberationis è seruitute, ac manib. Pharaonis, cultus procul dubio erat diuinus, & quidẽ præcipua solennitate obseruandus. At Pascha Christianorum in quo Christus verus ille agnus, facta iam immolatione, contra mortem ac diabolum triumphauit, & in quo memoria recolitur Redemptionis humanæ ab æterna seruitute diaboli, cultus diuinus non est: idq; ideo solum, quia sic censuit Hunnius, cui valere debet Christus, vt viuat Moyses. Sess. 10.

XXXV. Eo spectat etiam illud eiusdem pronunciatum: eos qui pertinaciter asserant, Pascha celebrandũ non esse die Dominico, sed luna decima quarta cũ Iudæis, vt olim faciebant Quartadecimani ab omnibus pro hæreticis habiti, non esse hæreticos. Si obijcias Tertullianum, Epiphanium, Augustinum, qui eos in Hæreticorum catalogo reposuerũt, respondebit Prædicans, eos ideò in Hæreticis numeratos esse, quod ex celebratione Paschatis fecerunt singularẽ cultũ, eidẽq; affinxerunt opinionẽ necessitatis, vt etiã nobis in Colloquio respõdit. Annon vero hæc egregia responsio est? Sancti Patres omnes, & quidem inprimis tres illi constanter defendebant, Pascha necessario die Dominico, idq; in honorem & memoriã dominicæ resurrectionis, celebrandũ esse, cõtra Quartadecimanos, et iã, si Hunnio credim⁹, eos velut hæreticos dãnãt, nõ aliã ob causã Sess. 10.

 quam

quam quod Paſcha neceſſario velut diuinum quendam cultum obſeruandum eſſe dicerent. Vt interim taceam, in ea ſua reſponſione ipſum Hunnium ſibi parum conſtare, vt qui, cum prius abſolutè negaſſet Quartadecimanos Hæreticos fuiſſe, poſtea aſſignata cauſa conceſſerit. Sed & in hoc fortaſſe dogmate ſuo Moyſi conſultum eſſe volebat, vt ſi quando forte occaſio eſſet, Paſcha decimaquarta luna cum Iudæis celebrandum eſſe decerneret.

Seſ. 10 & 11. XXXVI. Sed quid ſi à Iudæis, ad gentiles atque Ethnicos parumper deficeret Hunnius? Certe quidem id à gentilium im pietate non procul abeſſe videtur, quod in Colloquio aſſeruit: Euangelium S. Matthæi eſſe Matthæi ſiue canonicum, hoc eſt, verbum Dei, non eſſe articulum fidei, ſed tanquam traditionem quandam ſeu teſtificationem ſolum hiſtoricam, fide hiſtorica, ob hiſtoricam teſtificationem Eccleſiæ credendum eſſe. Vbi quando nihil niſi hiſtoricum audio, neſcio quid non profanum audio: Etſi quidem poſtea dictum hoc ſuum, adhibitis pharmacis, lenire conatus fuerit Hunnius, cuius tamen declarationi an fides habenda ſit, vix ſatis ſcio.

Seſ. 10. & 11. XXXVII. Nam quid illud eſt, quod idem aſſeruit, imo etiam pertinaciter defendit, Euangelium ſancti Matthæi, eſſe Matthæi ſiue canonicum, non tantum non eſſe articulum, ſed nec *dogma fidei*, nec *partem verbi diuini*. quo quid aut ſtultius, aut magis impium dici poſſit, non video. Quid enim eſt dogma fidei, niſi vt ita loquar, placitum ſeu decretum, aut ſententia fidei vel Religionis. Sed ſcriptum eſſe oportet dicet Prędicans. Ineptè. Certe quidem S. Baſilius, cum

eum dixisset, nos *dogmata quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habere è doctrina prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione, & quidē vtraq; parem vim ad pietatē habentia, &c. dogma* appellauit, quicquid religiosè aut obseruatur aut creditur, vt *signo crucis se vel alios signare, consecrare aquam Baptismatis & oleum vnctionis, &c.* Nequaquam autem restringit eam vocem ad ea, quæ in scriptura expressè continentur. Deinde nonne in scriptura expressé scribitur, S. Paulum & Timotheum cum pertransirent ciuitates, *tradidisse eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis & senioribus, qui erant Hierosolymis.* Ecce *dogmata* vocantur Apostolorum & Seniornm decreta, quamuis in scripturis necdum comprehensa. Basil. de Spir. Sancto Cap. 27. Act. 16.

Negare autem eam Ecclesiæ traditionem de libris cãonicis esse *partem verbi diuini*, longè intolerabilius est. Nam vel ea traditio diuina authoritate mediatè vel immediatè Ecclesiæ est reuelata siue ꝓposita, aut non est. Si est, erit vtiq; pars quædam verbi diuini, quod nimirum locutus est Deus per os Sanctorum: si non est, ergo nec diuina ac infallibili fide credenda est: vt tamen credendam esse fassi sunt Aduersarij. Et planè *hic Rhodus, hic saltus est*, in quo tam turpiter lapsi sunt Prædicantes. Luc. 1.

XXXVIII. Sed necdum finem delirandi facit Hunnius, circa Euangelium sancti Matthęi, &c. Quid enim diu multumque inquiramus, vndenam constet, Euangelium S. Matthæi esse Canonicum. Id enim *demonstratur*, vt ait Hunnius, *ex visione quatuor animalium Ezechielis & Apocalypsis.* Sect. 10.

Egregia profecto demonstratio. Quid enim si quatuor illa animalia ad aliud quippiam significan- Ezech. 1. Apocal. 4.

dum referantur? Certe quidem ad quatuor Euangelistas referri, ex sola scriptura non discimus, sed Sanctorum Patrum interpretatione.

Secundo, esto quatuor Euangelistas significet, nunquid ideo, si aliūde nō cōstaret, sanctū Matthæum Euāgeliū cōscripsisse, id ex ijs scripturis demōstrari posset?

Tertio, esto etiam ex illis testimonijs Scripturæ colligatur S. Matthæum è quatuor Euangelistarum numero esse, atq; adeo Euangelium conscripsisse, nequaquam tamen ideo ex illis scripturis demonstrari potest, idipsum Euangelium, quod nunc Matthæi nomine prænotatum in manibus habemus, verè S. Matthæi Euangelium esse. Quid enim, si verū S. Matthæi Euangelium perijsset, & aliud quoddam eius nomine falso inscriptum obtrusum fuisset, sicut alia quædam Pseudepigrapha Euangelia existunt, nimirum Thomæ, Barnabæ, &c. sub quorū nominib. Pseudoeuangelia quædā ab hæreticis supposita & Ecclesiæ obtrusa fuerunt.

Quid si hoc quidē à S. Matthæo Euangelium cōscriptum fuisset, sed postea tamen nouis additamentis ab Hæreticis auctū, aut in sententijs ipsis nequiter deprauatum fuerit, an etiā hoc factū non esse ex visione quatuor Animaliū demōstrabitur? Ecce quam inept⁹ Hunnius, quā absurde ex quolibet quodlibet demonstrat.

XXXIX. Sed quia ipsemet sibi probe conscius erat suæ in ea re stoliditatis, ideo aliud subsidiū aduocare voluit, nimirum à Caluinistis, qui non aliunde scripturas canonicas à nō canonicis discernere didicerunt, quā ex innato quodā ipsis scripturis lumine, quo fiat, vt nō minus Scriptura Sacra à nō sacra mentis oculis discernatur, quā lumē à tenebris, Albū à nigro, oculis corporis discerni possit. In hāc sententiā aliquoties

Sess. 11.

etiam

etiã, ex mera desperatione, ꝓclamauit Hunnius, id nõ tãtũ ex Ecclesię testificatione, *sed etiã ex internis & longè euidentiorib. Critirijs* cognosci, *quæ indicãt manifestè*, ait Iac. Hailbronner *hanc Scripturam à Spiritu S. profectam esse.*

Quod si tã his, quã Caluinistis obijcias, SS. Patres, etsi mente perspicacissima, diligentissimè Scripturas lectitarẽt, subinde tamen & inter se circa scripturæ Canonẽ consignandũ, non nihil dissensisse; dum vnus quidẽ aliquẽ Scripturæ librum, quando per Ecclesiasticã authoritatẽ nihil certi constitutũ erat, velut canonicum acceptauit; alter vero extra Canonem reposuit.

Respondere necessariò debebũt isti, Sanctos Patres illos, qui vel verè canonicũ librũ non agnoscebant, vel non canonicũ, tanquã canonicũ venerati sunt, mentis oculis in ea re destitutos fuisse, vt qui rẽ alioquin euidẽter oculis subiectã nõ cernerent. planè infelices noctuæ, quæ cũ diei lumen ferre nõ possint, eorũ perspicacitatem tanquã cęcitatẽ condemnant, qui acutius vident, quã ipsi vident. Et talesne terræ filij, animales homines, aut inusti stigmate, aut digni, vix nati, sese sanctis Patribus oculatiores faciant? Et quid respondebunt, quod nec ipsi quidẽ inter se cõsentiunt, tametsi alioqui pari insolentia internorũ Critiriorũ, & nescio cuius tenebricosi luminis euidẽtiã iactitẽt? Certè nulla vnquã fuit inter oculatos controuersia, an lumẽ sit lumẽ, an tenebræ sint tenebræ. Si ergo tã euidenter scripturã sacrã, à nõ Sacra discernũt, cur Caluinistæ Apocalypsin S. Ioannis ꝓ canonico libro habẽt, quẽ Lutherani cõmuniter extra Canonẽ reponũt? Cur ex ipsismet duob. Prædicantib. qui in Colloquio disputarũt, Hailbronnerus quidẽ Apocalypsin extra Canonem extrudit, Hunnius candẽ velut sacrã noui Testamẽti prophetiam

Hailb. scripto german. cõt. D. Pistor. de script. & Eccles. fol. 13.

Hunn. Artic. de Ecclesia passim.

iam veneratur? cur Hunnius epistolam ad Hebræos vno loco pro indubitato Dei verbo habet; cum ait: *Ipsius rei & materiæ sublimitas & traditionis modus atq; ratio luculenter arguit, eam à Spiritum Dei dictatam inspiratamq; esse, &c.*

Hunn. in præfat. explicat. in Epist. Heb.

Et infra: *porro sufficiat nobis*, ait, *quod eam à spiritu sancto profectam scimus, etiamsi de mediato authore (quo nimirum Apostolo litteris consignata sit) non perinde constet: quemadmodum neq; certo nobis constat, quibus authoribus libri Regum & Paralipomenon conscripti sint, nec tamẽ hinc eorundem authoritati quicquã detrahitur:* Cur, inquam, in hoc loco epistolam ad Hebræos pro libro canonico indubitatò habet, cũ tamẽ non solum Iac. Hailbronner alijque Lutherani communiter, sed etiam Hunnius ipse alibi pro libro omnino canonico non habeat, vt cum contra Bellarminum ait.

Hunn de verbo. Dei cap. 17.

Nos profecto plus ei tribuimus fidei, certitudinis, & authoritatis, quã Apocryphis V. testamenti, adeoq; Canonicis scriptis prope parem. Prope parem, inquis, ergo non omninò parem. Vbi sunt ergo hic *interna Critiria*, vbi mentis oculi, vt album à nigro, lumen à tenebris discernatur? Itane contrarium tibi suadent illa κριτήρια? Cur non à Caluino vel ex inferis oculos mutuatis, vt euidens illud lumen scripturæ agnoscatis. Sed satis hæc esse possunt, ad eius dicti absurditatem demonstrandam; vt taceam ea, quæ contra illud Caluini dogma à me alibi disputata sunt.

Disputat. Monac. An. 1599. de verbo Dei. thes. 12.

XL. Sed neque hic pedem fixit absurda falsitas. Adhuc aliud ex Hunnij cerebro, ad scripturam sacram à non sacra discernendam, atque adeo ad cognoscendum, quod Euangelium S. Matthæi, sit Matthæi, siue canonicum, suppetit medium. Hoc enim *testatum fit ex inscriptione*, inquit Hunnius. Mirum planè,

Sect. 10.

quod

quod Papistæ toties & tot jam annis inscriptionem illam legerunt, Euangelio S. Matthæi præfixam, & nunquam hactenus aduerterunt, ex sola inscriptione demonstrari, Euangelium illud esse verè S. Matthæi & Canonicum Euangelium.

Sed nullum esse dubium potest, quin id ex mera desperatione asseruerit. Certè ineptissimum, absurdissimum, vanissimum, & plane puerile commentum est, prorsus indignum, quod vel in mentem viro docto veniat, nedum toties in publico Colloquio effutiatur. Itaq; etiam indignũ visum est, ob quod perstringendũ in Colloquio ab instituto digrederemur, cum præsertim aduersarij nunquam interim negarent, quin Ecclesiæ quoq; testificatio, ad dignoscendos libros Canonicos à non Canonicis, necessario accedere deberet, quod ad propositum concludendum nobis sufficiebat. Alioqui planè puerile esse pronunciatum, quis non videt?

Quasi verò cũ de libro, quopiam dubitatur & inquiritur, sacerne sit an profanus, non etiam de ipsamet inscriptione, si quam forte habet, Apostoli aut Prophetæ alicuius nomine insignitam, simul quæratur, recte ne se habeat talis inscriptio?

Vel enim, vt etiam à me alibi disputatum est, tituli sunt partes librorum canonicorum, quibus præfigun- tur, vel non sunt. Si sunt, ergo quando de libri veritate & authoritate dubitatur, de ipsorum quoq; titulorum autoritate dubitari necesse est. Si non sunt, ergo infallibilem autoritatem ad testificandum non habent, ac proinde non erit conueniens eorum testimonium, quia non satis certum. Disput. de Verb. DEI Monach. An. 1599. thes. 24.

Taceo quòd & apocrypha scripta multa autorē Prophetam aut Apostolum præferunt. Vt est Euangelium Thomæ cuius meminit Augustinus, Euangelium Petri, quo vsi sunt Nazaræi, teste Theodoreto, Apocalypsis Petri, de qua Eusebius, præterea Euangelia Barnabæ, Bartholomæi, Andreę, & alia huius generis, q̄ recensentur à Gelasio. De quibus verissimè dicit Augustinus, *Multa sub nominib⁹ Prophetarū & Apostolorum ab hæreticis prolata sunt, quæ omnia sub nomine Apocryphorū autoritate Canonica diligenti examinatione reiecta sunt.* Sed facessat hæc puerilis ineptia Hunij, & eius discipulis recognoscenda transmittatur.

Cont. Adimant. c 17.

Hæret fab. lib. 2. lib. 6. & 11.

Dist. 15. can. sancta Romana. lib. 15. deciuit. cap. 13.

XLI. Sed necdum absurditatum finis in assignando medio, per quod fide certa & infallibili constare possit sitne liber aliquis Canonicus. Etsi enim semper quidem admiserint aduersarij, necessario ad hanc rem requiri aliquam Ecclesiæ, seu traditionem, seu testificationem, attamen vt ne quicquam authoritatis præsenti Ecclesiæ Catholicę attribuere cogerentur, (de qua tamen re nihil tunc agebatur) idcirco asseruit Hunnius, testificationem de libris Canonicis, *non ad hodiernam Ecclesiam, sed ad primitiuam pertinere.* Absurdissimum.

Sess. 10.

Quis enim testimonium primitiuæ Ecclesię per mille jam & fere sexcentos annos à nobis distantis, ad nos vsq; continua successione detulit, nisi Ecclesia, quę omni tempore, vsque ad pręsentē diem, nunquā interrupta Successionis serie perdurauit. Huius ergo testificatio, & quidē cum infallibili authoritate facta, rursus etiam ad eam rem demonstrandam necessaria est.

Si enim ponamus, primitiuam quidem Ecclesiam, in scripturę Canone tradendo falli nō potuisse, sed posteriorē tamen Ecclesiam, in Ecclesię primitiuę traditione fide

fideliter cõseruanda, aut errasse aut errare potuisse, nõne de libris canonicis, omnis peribit fides? vtpote quòd primitiuæ Ecclesię testimoniũ ipsi nostris aurib⁹ minimè perceperim⁹ sed in eo cognoscẽdo pręsenti dũtaxat Ecclesiæ fidẽ habuerim⁹, quæ proinde fides infallibilis nullo modo erit, si in hoc pręsens Ecclesia fallere potuit

Itaq; non video, qua ratione dictum illud suum tueri possint aduersarij, nisi forte tam longas ipsi aures habent, vt facile se ad testificationem illam sine medio percipiendam, quæ ante annos plus mille quingentos edita est, sese extendant.

Neq; dissimulare hoc loco possum insignem seu cæcitatẽ, seu fraudẽ Prædicantis, quam in suis Notationib⁹ turpiter prodit, dum discrimen facit inter has quæstiones, Num Euangelium Matthæi sit Matthęi: Et num sit Canonicum. Et illud quidẽ fatetur constare ex Ecclesię traditione, hoc verò non ex illa, sed ex sacra scriptura liquere significat, Ita enim habent verba Prædicantis. *Indubitatũ est*, inquit, *diuersas esse quæstiones: Num Euangeliũ Matthæi sit Matthæi: Et num sit Canonicũ. Illud cõstat suffragio Ecclesiæ. Hoc posterius ex ipsismet sacris literis deducitur. Etenim quã primũ cõstat esse Matthæi, statim ex scripturis infertur, esse Canonicũ, siqdẽ in ipsamet scriptura velut Mar.3. & Lu.6. (vt ipsiusmet Matthæi de se testimoniũ hac vice nõ attingã) Matthæus annumeratur Apostolis atq; hoc ipso scriptis eius Canonica fides & autoritas attribuitur*, Et infra idem delirium repetit Prædicans. *Rursus*, inquit, *hic insulsus disputator inscitiam suam prodit, cũ impietate cõiunctã, dum inter ea, quæ in scriptura nõ extant, referre audet hoc etiam, q̃ sit aliqua scriptura Canonica seu verbũ Dei scriptũ. Atqui quod sit Canonica scriptura Moysis, & quòd illa sit verbum DEI, id locupletissimè Dominus passim testificatur in verbo suo scripto: id Prophetæ plus centies in scriptis suis asserunt.*

Notat. fol. C. 4

Notat. fol. C. 4

Sic quod & Mosis & Prophetarum scriptura sit Canonica, & sit verbum DEI, quoties id Christus affirmat in scripto Euangelistarum verbo, quoties Apostoli in suis concionibus descriptis à Luca in Actis? quoties in omnibus suis Epistolis? Annon hoc est Andabatarum more pugnare, & cæcorum instar palpare in meridie? Planè ita est.

Sed conclusionem huius Andabatarum more pugnantis, huius cæcorum instar palpantis in meridie audiamus. *Iam quod attinet,* inquit, *scripta noui Testamenti, supra declarauimus, esse quæstiones disparatas: Num Euangelium S. Matthæi sit Matthæi, & num id sit Canonicũ. Prius dixi liquere ex testificatione Ecclesiæ: posterius autem ex internis etiam & in ipsa scriptura Matthæi latentibus* κριτηρίοις *tanquam supremi Auctoris Spiritus Sancti indubitatis vestigiis: Quin ostendi etiam, quam primum cõstet ex testimonio Ecclesiæ primitiuæ, esse Matthæi Euangelium, tum protinus jam ex scripto verbo inferri, esse Canonicum, siquidem in scripto verbo Matthæus accensetur Apostolis, quorum scripta Canonicam autoritatem obtinere certum est.* Hactenus verba Hunnij, quæ planè significant, non ex traditione Ecclesiastica, sed ex sola scriptura cognosci, an & quænam scriptura sit Canonica & verbum Dei, cum solum admittat Hunnius, ex traditione cognosci autores librorum Canonicorũ: at quod aliqua scriptura sit Canonica, id ex ipsamet scriptura liquere, atq; adeò non ex traditione. Idq; nimirum in eum finem ita asserit, vt ne Ecclesiasticæ traditionis necessitatem in grauissimis eiusmodi controuersijs religionis, quæ de scriptura exoriri possunt, an sit Canonica &c. agnoscere cogatur.

Et verò finem facile consequitur, si ex Ecclesiastica traditione solummodo cognoscuntur Autores librorum,

rorum, neq; ea porro ad hoc ipsum cognoscendum necessaria est, an scriptura sit Canonica. Hac enim cognitione facile carere potest Ecclesia, quis sit scriptor huius vel illius libri Canonici, prout de facto quoq; de quorundam librorum etiam Canonicorum Autoribus siue scriptoribus nihil certi constat. Atqui an hæc vel illa (& ita generatim de omnibus loquendo) sit scriptura Canonica, id verò Ecclesiæ necessariò cognoscendũ est, ne alioquin in rebus fidei & religionis regulam incertam pro certa sequatur. Itaq; satis hoc commodum aduersariorum præsidium, & effugium est, si firmum: hoc est, si verum est, ex sola scriptura, non ex traditione, cognosci an & quisnam liber sit Canonicus.

Sed nunquam in tot spiras tortuosus hic serpens sese contorquebit, quin ab armata manu euolui, euolutiq; caput conteri possit. Experiamur nisum, an succedat: hoc ante omnia iacto fundamento, quod palam in omnium oculis versatur.

Nimirum hanc controuersiam, vnde constet, quod hic vel ille liber sit Canonicus, non de vno tantum scripturæ libro (quanquam exempli causa, de Matthæi Euangelio potissimum in Colloquio sermo erat) sed de omnibus omnino & singulis scripturæ libris, atq; adeo de toto complexu librorum Canonicorum moueri, cum eodem modo de omnibus dubitari possit.

Iam ergo, vt ad rem veniamus, aut omnino vult Hunnius, vt eius quidem verba significant, ex sola scriptura, seclusa penitus traditione Ecclesiastica, cognosci, quod Euangelium V. G. Matthæi, aut libri Moysis (& eadem est omnium librorum Canonicorum ratio) sint Canonici, aut nõ excludit Ecclesiasticam traditio-

nem, ſed admittit, requiri aliquã infallibili fide credẽdam, ad hoc vt cognoſcatur, Euangelium illud S. Matthæi eſſe Canonicum &c. Si fateatur eſſe neceſſariam eiuſmodi traditionem, falſum eſt ergo, ex ſcriptura, ſine traditione, cognoſci, quòd Euangelium S. Matthæi ſit Canonicum, falſum eſt, ex ſola ſcripturâ ſine traditione cognoſci, quòd ſcriptura Moyſis ſit Canonica. Falſum etiam, imò calumnioſum mendacium eſt Hunnij, anonymum illum Epiſtolæ illius ſcriptorem, quaſi *inſulſum diſputatorem, inſcitiæ & impietatis* damnat, *dum inter ea, quæ in ſcriptura non extant, refert etiam hoc, quod ſit aliqua ſcriptura Canonica.* Præterea vanum quoq; eſt pronunciatum illud Hunnij, quo aſſerit, ex traditione cognoſci ſolum, quòd Euangelium S. Matthæi ſit Matthæi, at q̃ ſit Canonicũ, cõſtare ex ſcriptura: cum neutrum tamen ſine traditione conſtare poſſit.

Demum euicta Catholicorum cauſa eſt, dum aſſerunt tantum abeſſe, vt ſola ſcriptura ſit vnica norma doctrinæ fidei, ſecluſa traditione, vt ne cognoſci quidem poſſit, ſecluſa traditione, an hæc vel illa ſit ſcriptura Canonica: ac proindè etiam rectè concludunt, neceſſario præter ſcripturam agnoſcendam eſſe traditionem aliquam fide diuina, & infallibili credendam, & eam quidem adeo neceſſariam, vt ſine ea ſtare Eccleſia ſecundum legem DEI ordinariam non poſſit.

Si verò neget, neceſſariam eſſe traditionem aliquam ad hoc, vt conſtet, an ſcriptura Moyſis, vel Euangelium Matthæi ſit Canonicum, tunc rurſus in caput ſuum mentitur, quandoquidem non ſolum Lutherani communiter, dum eos ſolum pro Canonicis libris recipiunt, de quibus

nul-

nullam olim inter veteres fuisse controuersiam deprehendunt, Ecclesiæ vtiq; traditionem in Canone librorum sacrorum consignando vim habere agnoscunt: sed etiam ipsimet aduersarij nostri in Colloquio, etsi in tribus Sessionibus res hæc fuerit agitata, negârunt nunquam, interuenire quoq; debere, in hac re de scripturæ Canone, judicium seu autoritatem Ecclesiasticæ traditionis, etsi vtcumq; simul ad quatuor animalia Ezechielis, ad inscriptionē, ad interna κριτήρια confugerint. Imò potius id apertè concedit Hunnius. Cum enim hoc argumentum à me fuisset propositum. *Sepolita Ecclesiæ autoritate, nemo potest judicare, quod aliquis impingat in scripturam sacram. Ergo sola sacra scriptura non est judex.* Respondit Hunnius. *Agnoscimus quidem autoritatem Ecclesiæ (sicut factum est) hac in parte: tribuimus autem illi, non autoritatem judiciariam, qualem vos ei tribuitis, sed testificationem historicam.* Fatetur ergo Hunnius se agnoscere autoritatem Ecclesiæ *hac in parte*, hoc est, vt aliquis, qui scripturam Canonicam negat, sciat se impingere in scripturam sacram. Quid ergò jam negat?

Et quid illud? *Tribuimus autem illi non autoritatem judiciariā, sed testificationē historicam.* Quasi verò hic de nomine litigem⁹. Infallibilē aliquam autoritatē Ecclesiæ requirimus, Prædicans, circa res illas quæ in scriptura nō cōtinētur, nec ex ea solū sufficiēter deducūtur, quocūq; demū nomine eam appelles: hanc qa cōcedis, vict⁹ es, quia à te cōcessām negas, mendax. Quod si eam *historicā traditionē* vocet Hunnius, quasi humana solum fide nitatur, vt historia Liuij, Cæsaris, Sallustij: tunc in Deum pariter & homines impius est, & nec pilum quidem ab Ethnica impietate distat.

Et

Et rursus infra, cũ vel minimum hac in re Ecclesiasticæ autoritati tribuit, non nihil tamen certè tribuit: *Quod* (Euangelium Matthæi) *sit Canonicum, & habeat diuinam autoritatem, id habemus non simpliciter ex autoritate Ecclesiæ, sed ex internis etiam* critirijs. Si ergo non *simpliciter*, saltem secundum quid ex autoritate Ecclesiæ id habetur: cum præsertim Hunnius addat *etiam*. Quid enim illud, *etiam*, si non *etiam* ex autoritate Ecclesiæ, aliquo saltem modo id habetur.

Deinde cur Hunnius in prima Sessione, Hailbronnerus autem tum in vndecima, tum in decima tertia Sessione asseruit, de hac traditione, an libri Moysis, aut Euangelium S. Matthæi sint libri Canonici, vel eorum autorum, quibus tribuuntur, non esse sibi nobiscum vllam controuersiam? *Annon hoc est Andabatarum more pugnare, & cæcorum instar palpare in meridie?* Annon hoc est, contra conscientiam, fallere & decipere velle imperitos? Annon hoc est, deliberato consilio, agnitam veritatem oppugnare?

Sed ponamus, Hunnium ita sincerè opinari, serioq; sibi persuadere, ex sola scriptura, seclusa omni Ecclesiæ traditione, cognosci, quòd libri Moysis sint Canonici, aut Euangelium Matthæi sit verbum Dei, ne tum quidem aliud consequitur, quàm quòd ita puerilis, aut Caluinisticæ stultitiæ palam se condemnet. Vnde enim, dic sodes, mi Hunni (vt tecum quasi cum discipulo Caluinistarum familiariter agam) vnde, inquam, vel ex quo scripturæ loco hoc cognoscas? Ex scriptis, inquis, Apostolorum & Prophetarum, quod ad Moysis libros attinet. Euangelium autem S. Matthæi esse Canonicum, colligitur ex Marci 8. Luc. 6, quandoquidẽ illic Matthæus inter Apostolos numeratur. Sed

Sed primùm rursus quæro ex te, Hunni, an ex Apostolicis vel Euãgelicis scriptis, dum libros Moysis velut Canonicos laudant, satis colligi possit, de his ipsis scriptis, quæ nunc Moysis nomine inscripta circumferuntur, sermonem esse? Asseres haud dubiè, quia alias palmam mihi cederes, fateriq; cogereris, non posse ex sola scriptura satis cognosci, quod hi libri Moysis, quos in manibus habemus sint Canonici. Itaq; affirmare opus habet Hunnius, sed affirmanti jam incumbet probatio, ex decantato Prædicantium decreto. Et qua ratione, quæso, Euangelica illa scripta significant, hæc ipsa Moysis scripta, quæ jam in manibus tenemus, quoad omnes suas aut saltem potiores partes esse Canonica? Quid enim si hæc scripta non sint illa Moysis, quæ scriptura laudat? Quid si quispiam Hæreticus veniat, & neget, hæc quæ habemus esse scripta Moysis? Quid si dicat, maiore ex parte esse deprauata, multa supposita? quomodo ei ex solis scriptis Apostolicis & Propheticis aut Euangelicis probabis, hanc ipsam esse veram & germanam scripturam Moysis?

An id ex eo probabis, quia multa testimonia, quæ in Euangelicis scripturis citantur, ita planè in scriptis Moysis etiam hodie leguntur, prout citantur? Sed objiciet, maiorem partem scriptorum Moysis non citari in Euangelicis scripturis: itaq; ex citatione probari non posse, scripta Moysis maiore ex parte esse incorrupta. Si cum titulo, aut internis κριτηρίοις venias, hoc quantum valeat, supra declaratum est.

Et hæc eadem ratio potest multò adhuc clarius accommodari Euangelio S. Matthæi. Esto enim, quod ex alijs Euangelistis constet, Matthæum fuisse Aposto-

lum, vnde tamen constat eum scripsisse Euangelium? Deinde si constet maximè eum scripsisse Euangelium, idq; Canonicum, vnde constat, hoc ipsum Euangelium, quod nunc in manibus habemus esse idipsum Canonicum Euangelium, quod scripsit Matthæus?

Respondebis forsan ex eo, quod Euangelium hoc sit consentaneum alijs. Sed primò non omnis qui scribit consentanea Euangelio, scribit Canonicum Euangelium, alioquin quilibet orthodoxus scriptor ita possit fieri Euangelista. Deinde Matthæus multa propria habet, (quod etiam de alijs Euangelistis dici potest) quæ ceteri Euangelistæ non habent. Vnde ergo de autoritate infallibili eiusmodi dictorum constabit?

Dices, hoc cognosci ex testimonio Ecclesiæ, contestãtis, hoc quod jam in manibus habemus Euangelium S. Matthæi esse Matthæi, sit ita. Ex hoc ipso enim concluditur quod volumus, nimirum absq; Ecclesiæ traditione siue testificatione cognosci non posse, quod Euangelium S. Matthæi sit Canonicum, aut quod libri Moysis sint Canonici. Vt interim taceam, ex nomine præcisè autoris de libris Canonicis judicium certum per omnia fieri non posse, non solum quod de multorum librorum etiam Canonicorum autoribus certò nihil constat, vt etiam supra fassus est Hunnius, sed etiam, quod obijcere quispiam possit, non hoc ipso, quod scriptum aliquod ab Apostolo profectum est, Canonicum esse, quandoquidem vt in agendo alioqui, ita & in scribendo, (sicubi nihil ipsi toti Ecclesiæ credendũ aut obseruandum definirent)

deci-

decipi potuisse Apostolos, nonnulli existimant. Itaque nisi quis aliunde certus reddatur de libri Canonici infallibili autoritate, ex scriptoris præcisè nomine certum reddi neminem posse.

Est ergò prima ratio, ex qua demonstratur, non ex sola scriptura, sed ex Ecclesiæ traditione cognosci libros Moysis esse Canonicos, aut Euangelium Matthæi esse Canonicum: quam etiam tibi, quia tam bonus dialecticus es, in formam redactam dabo. Si ex sola scriptura, seclusa traditione, nusquam satis probari potest, hos, quos in manibus tenemus, esse libros Moysis, aut hoc, quod Matthæi nomine inscriptum habemus, Euangelium, saltem quoad omnes suas principales partes esse Moysis, aut Matthæi, tunc ex sola scriptura, sufficienter colligi nō potest, hos libros, Mosis nomine inscriptos, esse Canonicos, & hoc Euangeliū, S. Matthæi appellatū, esse Canonicum, sed antecedens, est verissimum, vt ostendimus: Ergo & consequens. Deinde si maximè, vt ad alteram rationē veniamus, omnia capita pentateuchi Moysis, omnia capita Matthæi cōprehenderentur, in Luca & Marco & alijs Euangelicis scriptis. Vnde, quæso te Hunni, de his ipsis Euangelicis scriptis cōstabit esse Canonicos? An forsan ex Moyse, & Matthæo? Sed de his, vt supponimus jam dubitatur, neq; Moyses aut Matthęus aliorum Euangelicorum scriptorum loca referunt, multò minus eos totos descriptos reddunt, vtpote quia prius scripserunt.

Quod si per impossibile ponamus, totum contextum Moysis esse in scriptis Euangelicis, & totum Euangelium Marci esse in Matthæo, & Lucæ in Marco, & Ioannis in Luca, & rursus Lucæ in Ioanne, in Marco,

in Matthæo, & vt ſemel dicam, ſi ſinguli libri Canonici cæteros libros omnes ad verbum deſcriptos continerēt, aut certè expreſſiſſimā ſibi mutuo teſtificationem, in quauis optima forma, redderent, quomodo quæſo certus eris, hanc ipſam teſtificationem, totumq; hunc complexum librorum Canonicorum eſſe Canonicum, quandoquidem tunc, ſicut de vno, ita de omnibus oriri poſſet quæſtio, an eſſent Canonici? Certè ſi rumparis, Hunni, ne fingere quidem poteris aliud medium cognoſcendi librum Canonicum, prẹter traditionem & teſtificationem Eccleſiæ.

Et tandem, quomodo negare potes, quæſo, ex traditione Eccleſiæ conſtare, quis liber ſit Canonicus, cum interim fatearis, ex ea conſtare, quòd Euangelium S. Matthæi ſit Matthæi: hoc verò ipſo, quod cognoſcitur eſſe Matthæi, ſciri etiam, quod ſit Canonicus. An non vides, inepte Logice, ex eo ipſo, ex quo cognoſcitur antecedens, etiam mediatè ſaltem cognoſci conſequens? ſi enim ex fumo ignē, & ex igne calorem, certè etiam ex fumo calorem cognoſcis. Sed ſatis credo, jam nebuloſus iſte Prædicātis fumus diſſipatus eſt.

Illud tamen prӕterire non debeo, Hunnium non primum fuiſſe puerilis huius effugij inuentorem. Nam & Kemnitius, egregius ſcilicet ille Cenſor, idipſum jam olim quoq; cenſuit, cum diceret, ex allegationibus, quę extant in nouo Teſtamento colligi, quis fuerit Canon ſcripturæ veteris Teſtamenti. Quam etiam ſententiam eius ante annos aliquot in diſputatione quadam de verbo DEI recenſui his verbis. *Hæc cenſura profectò puerilis eſt & indigna tanto Cenſore. Nam ſi veteris Teſtamenti Canon ex nouo Teſtamento innoteſcit, ſine proponentis Eccleſiæ autori-*

1. part. exam. Seſſ. 4.

Diſput. de Verbo DEI, Monach. Anno 1599.

toritate ipsius noui Testamenti Canon vnde innotescit? an vicissim ex veteri? Crederem si Moyses Matthæum allegaret: An ex seipso, vno videlicet libro alteri testimonium perhibente? Sed hoc nimis friuolum est. Nam dato, quod posteriores quidem libri semper allegarent priores, quis tandem allegârit postremum? Vt interim taceam, vix vllum librum noui Testamenti ab alio distinctè citari.

Quin etiam si quàm fieri posset clarissimè, veteris Testamenti Canon in nouo consignaretur, & ipsius noui Testamenti libri se mutuò apertissimè velut digito demonstrarent, vnde obsecro hanc mutuam sacrorum librorum testificationem errore & falsitate carere scias, sine prauia Ecclesiæ propositione, ex qua prius constet, eiusmodi testificationem, vtpote libris sacris contentam, fallacem esse non posse?

Sed neq; hoc concedo Kemnitio, proposito jam semel legitimè per Ecclesiam, noui Testamenti Canone, posse jam vltro, per seipsum quemq; veteris testamenti Canonem, ex nouo colligere. Quo modo enim id fiat? Ex allegationibus, inquit, veteris Testamenti, quæ extant in nouo Testamento. Ergone qui allegantur, continuo sacri erunt? Erit ergò Kemnitio sacer scriptor Epimenides Poëta, cuius illud allegat Paulus: κρῆτες ἀεὶ ψεῦςαι &c. Vocans eum Cretensium Prophetam. Neq; omnes quidem, etiam Sectariorum & Kemnitij judicio, sacri veteris Testamenti libri in nouo allegantur. Certè ex libro Ruth, ex Regum primo, ex libris Paralipomenon, ex Ester, Ecclesiaste, Threnis Hieremiæ, Sophonia Propheta, nemo facilè inuenerit vllum testimonium in nouo Testamento allegatum: multò minus libros ipsos de nomine citatos. Quid si jam ad partes & capita descenderem, de quibus non minùs, quàm de ipso libro dubitari potest? Ideone ergò, quia nec libri singuli, nec singula librorum capita, neq; singula capitum membra ex veteri Testamento citantur in nouo Testamento, reÿcienda erunt? Certè si ex allegationibus noui testamenti faciendum sit judicium, ita faci-

endum erit: Satis ergo patet, quàm pueriliter censuerit Kemnitius, & post hunc eius discipulus Hunnius, in cuius gratiam hæc descripta dedimus, ne quasi noui artificij inuentionem sibi arroget.

CAPVT DECIMVM nonum.

DE QVINTA DECADE ABsurditatum Prædicanticarum cum Auctario.

NIMIS in Prædicantes liberales fuimus in quarta Decade Prædicanticarum Absurditatum recensenda, dum pro decem vndecim numerauimus, sed hæc materiæ vbertas & connexio erat, vt disjungi vndecimum absurdum à cæteris non posset. Neq; vero ideo vlla inopia laboramus, qua decadem hanc suis numeris absolutam reddamus, quin potius dabimus mensuram confertam & coagitatam in sinum eorum. Primum igitur in hac decade, sed à capite XLII. est, impudens illa calumnia, qua infamis ille Prædicans Catholico Principi, in publico Colloquio, in faciem ingerere ausus est, quandoquidem *scapham oportet appellare scapham, ligonem ligonem*, etiam Pontificem appellandum esse Antichristum. Impudens planè os, & effrons caput: quasi verò tam certum & liquidum, nec minus extra omnẽ cõtrouersiæ aleam positum sit, quòd Romanus Pontifex sit Antichristus, quàm quòd

Sess. 13

Scapha

Scapha sit Scapha, quòd ligo sit ligo: cùm etiamsi parem vtrobiq; causam sisteret argumentorum pondus, in re tamen controuersa, non nisi impudentissimè alteri parti tantum imponi conuitium possit, & ita quidem imponi, vt non solum per modum disceptationis, idipsum rectè ne dici possit, inquiratur, sed velut decisa jam causâ, non minus, quàm Scapha Scapha, ligo ligo, absoluta & quasi non dubiâ appellatione Papa vocetur Antichristus.

Quantò ergo jam impudentius dictum est, quando Aduersarij, vt hoc dictum tueantur, & scripturas in suæ calumniæ consortium trahant, longè adhuc turpius ipsasmet scripturas tractant: sicut ex ipsomet Colloquio, quando vel obiter hac de re actum est, abundè patebat. Hinc enim, *è medio fieri*, significare illis debet, *minui*, *extollere se super omne id, quod est Deus*, nequaquam illis significare potest, Deum se facere, hoc enim nunquam Prædicantibus auditum, atque adeo penitùs incredibile est, etsi vel plurimi sibi ipsis, aut alijs hominib⁹ vel bestijs etiam diuinum honorem transcripserint: Sed solummodo, *sua mandata diuinis mandatis præferre*, atque adeo quidpiam diuinis mandatis contrarium statuere, quod etsi quidem Pontifex Romanus nunquam fecerit, Antichristus tamen Prædicantibus esse debet. Alij verò Imperatores, aut Reges, etsi fecerint, nequaquam tamen hoc nomine Prædicantibus appellandi veniunt. Sed cum de hac re alibi dictũ sit, quid de pueris infantibus Prædicantes pueriliter luserint, videamus.

XLIII. Et quidẽ huc spectat primũ illud, q pertinaciter cõtendebãt, illũ locũ S. Matth. *Euntes docete omnes gentes, bapti-* Sess. 12. Matth. 28.

baptizantes eos, docentes eos seruare. &c. Euidenter quoq; ad infantes spectare. Miraberis quonam modo subito in Apostolorum discipulos transformentur infantes, qui tamen discere nihil possunt. Ad hoc facilè responde- bit Prædicans nouo absurdo, quod in eius gratiam se- orsim numerabimus.

Sess 12. XLIV. Igitur etsi nec discere quicquam, nec doceri possint, fieri tamen possunt discipuli Apostolorum. Pro quâ tam præclarâ doctrinâ, non aliud Prædicanti- bus didactrum optârim, quàm vt eorum discipuli ab eis nec discant, nec doceantur quicquam, quanquam miror, si vllos adhuc vel indociles discipulos habent, qui tam absurdam doctrinam tradunt, & nihilominus tamen scripturę Doctores videri volunt.

Sess. 12. Act. 16. 1. Cor. 1. XLV. Et quis dubitet eos scripturæ peritissimos in- terpretes esse? Quis enim melius hactenus interpreta- tus est illa scripturæ loca, quibus integram *familiã* ba- ptizatam legimus? Quis ex ijs Anabaptistas sternere di- dicit validiùs? Et qđ multis opus est, *integram* illic *familiã* baptizatam legimus: ergo *euidenter* colligitur, paruulos quoq; olim ex Apostolorum instituto fuisse baptiza- tos. Si fortè obijciat Anabaptista, infirmam esse con- sequentiam, cum neutrum euidens sit, siue quòd in ea familia paruuli fuerint, siue quòd familiæ nomine in- telligantur paruuli, respondebit Iacobus Hailbronner, nec paruulos illic fuisse, negari, itaq; nihilominus eui- denter procedere consequentiam. Crederem forte, si Prędicantica familia fuisset, cui tam raro desunt libe- ri, quàm syluis arbores.

Matth. 28. Sess. 12. XLVI. Neq; vero illud obstat, quo minùs ille S. Mat- thæi

thæi locus, de infantibus intelligendus sit, quod infantes non credant. Tam enim certo per fidem actualem credunt infantes, si Prædicantibus credimus, quã quod S. Ioannes exultauit in vtero matris suæ. Si dicas absurdum, inauditum, & ab omni scriptura antiquitate, ratione, & experientia alienum esse dogma; parum refert. Nihilominus credendum est, quia Prædicantium dogma est.

Sed videamus tamen quid ad contraria quædam loca S. Augustini à nobis in secunda classe testimoniorum relata, Prædicantes responderint. Ita enim habent verba S. Augustini: *Sicut in Latrone, quia per necessitatem corporaliter Baptismus defuit, perfecta salus est, quia per pietatem spiritualiter adfuit: Sic etiam cũ ipsa* (Sanctificatio baptismi) *præsto est, si per necessitatem desit, quod Latroni adfuit, perficitur salus, quod TRADITVM TENET VNIVERSITAS ECCLESIÆ, cum paruuli infantes baptizantur, QVI CERTE NONDVM POSSVNT CREDERE CORDE AD IVSTITIAM, & ore confiteri ad salutem,* quod etiam alibi docuit S. Augustinus. *Vtiq; prodest,* inquit, *Christus paruulis baptizatis. Prodest ergo non credentibus? sed absit vt ego dicam non credentes infantes. Iam superius disputaui. CREDIT IN ALTERO, qui peccauit in altero, dicitur credit, & valet, & inter fideles baptizatos computatur. Hoc habet authoritas matris Ecclesiæ, hoc fundatus veritatis obtinet Canon, contra hoc robur, contra hunc inexpugnabilem murum, quisquis arietat, ipse confringitur.*

August. lib. 4. de Bapt. cap. 23.

August. Sermo. 14. de verb. Apost. Cap. 18.

Quid ergo Prædicantici Arietes contra hunc inexpugnabilem murum? Ad primum respondent; *agi hîc de pædobaptismo, neq; tamen dici traditionem, quasi scripta non sit, sed quia Apostoli illam viuâ voce tradiderunt, & quoad*

Ee praxim

praxim illam publicè exercuerunt. Ita Prædicantes.
Sed cum miseri dissimulârunt illud, quod infantes fructuosè baptizentur, tametsi nondum credant, propria & actuali fide, vt S. Augustinus ibidem affirmat: vt nihil iam dicã de eo, quod de traditione non scripta illic ineptè commentantur. Sed distulerunt fortasse responsum ad alterum illum allegatum locum.

Videamus ergo. Ita enim respondent ad secundũ: *Dicto Augustini sermone decimo quarto de verbis Apostoli, negatur infantibus baptizatis fides propria. Quia verò quisq; iustus non aliena, sed sua fide* (habituali nimirũ vel actuali.) *viuet, atq; insuper ex scriptura fides paruulorum baptizatorum potenter astruitur, nos ab Augustino hac in parte liberè dissentimus.*

Ita cerebrosi isti in sanctum Augustinum censores, quicquid tam grauiter inculcet Augustinus, quicquid pronunciet: *Hoc habet authoritas matris Ecclesiæ, hoc fundatus veritatis obtinet canon, contra hoc robur, contra hunc inexpugnabilem murum quisquis arietat, ipse confringitur.* Quid ergo exspectent aliud Arietes isti, nisi vt dum arietare pergunt, confringantur?

Sess. 12. XLVII. Sed & illud in logicis regulis imposterum reponendum erit, Hunnij titulo inscriptum, quod negare consequentiam Enthymematis, sit *nihil prorsus respondere, imo nec quicquam respondere posse in æternum.* Nisi enim hoc pronunciatum firmum consistat, malè agetur de Prædicantibus, qui malas suas consequentias semel negatas probare nunquam possunt *in æternum.*

XLVIII. Quin & hoc nouo dogmate imposterum auctior prodeat Aristotelis Dialectica: Quod nimirũ Syllogismus primæ figuræ, sit *in secunda figura.* Ita enim visum est absurdo Hunnio, qui dum hoc nouo in-

Sess. 14. Vid. Relat. Monah. part. 2. cap. 9.

uento

ucto sæpius identidē gloriatur, satis oſtēdit, ſe in dialecticis pontē Aſinorū necdum tranſiuiſſe, ſed in eo etiānum magnoperè periclitari, cui ſi forte contra vertiginem remedium aliquod norint noui Summuliſtæ, ſuppeditare ex commiſeratione poterunt.

XLIX. Quis verò putaſſet, tam tenaci memoria præditos eſſe Prædicantes? Eius ꝓfectò egregiū documentū exhibet Hailbronnerus, quando nō contentus morali certitudine de baptiſmo validè ſuſcepto, etiam euidentiam huius rei habere ſe teſtatur: *Oportet*, inquit, *me certo & euidenter ſcire: Quia alias fides mea ſuper arenā eſſet ædificata.* planè ſuper arenā, imo ſi quid arena fragilius eſt. Quomodo enim, quæſo, Prædicans iſte euidenter ſciat, ſe validè baptizatum, qui nec an baptizatus aliquando ſit, euidenter ſcit, aut ſcire poteſt. Hactenus quidem nullum adhuc vidi, qui teſtaretur ſe recordari ſui baptiſmi in infantia ſuſcepti. Seſs. ıııı

Neque planè huius Predicantis defendendi vllam viam inuenio, niſi ex his duabus alteram, aut vtramq;.

Prima eſt, quod forſitan Hailbronnerus iam adultus, occultè ſemel ad Anabaptiſtarum caſtra tranſijt, & ab illis clanculum rebaptizatus eſt, vt ſic euidenter ſcire atq; etiam meminiſſe poſſet, baptiſmū à ſe in adulta iam ætate ſuſceptum aut repetitum.

Altera ratio defendendi Hailbronnerum eſſe poteſt, quod fortè infantes, futuri aliquando Prædicantes ea memoria ſunt, vt ſui baptiſmi in infantia ſuſcepti euidenter recordentur. Neq; id magnopere mirandum fuerit, cum enim eorum infantes credant, quid mirum, ſi etiam reminiſcantur.

Verum tum culpandus venit Hunnius, qui non modo ipse suæ fidei actualis aut baptismi in infantia suscepti recordatus non est, sed etiam quæstionem meam hac de re sibi propositam in absurdis habet. Sed hinc nimirum intelligo, Hunnium labili esse memoria, Hailbronnerum autem hac in re longe feliciorem, quem ipse imposterum interrogatus, an aliquē eiusmodi actualis fidei seu baptismi in infantia suscepti testem, propria experientia edoctum, producere possit, Hailbronnerum cum encomio producet.

L. Neque illud hoc loco prætermittendum est, quod Prædicantium opinione, nihil ad valorem baptismi interest, quacunque demum intentione baptismus conferatur, Siue quis enim ebrius baptizet, siue dormiens, siue solius & meri ioci & ludi causa, semper validus baptismus subsistet, si Prædicantes audimus. Quod si ita est, vix scio, qua ratione ab Anabaptistico sacrilegio excusentur ipsorum balneæ, cum præsertim apud eos baptismus etiam in nomine Christi collatus validus censeatur. Aut igitur cum aqua aspersi in balneis lauant, in nomine Iesu Christi lauant, aut hoc non faciunt. Si non faciunt, malè certè exequuntur præceptum illud S.Pauli: *Omne quodcunq; facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi facite.* Si faciunt, ecce iam ipsorum balneatores Anabaptistæ fiunt, ipsi vero baptismi Sacramentum sacrilege iterant. Sed quid mirum est, quod eam Prædicantes absurditatem, existimant veritatem, quando ipsorum Euangelista & Prophera Lutherus asseruit, etiam diabolum baptizare posse: *Ego non dicam*, inquit, *quod Papistæ dicunt, nullum Angelorum: ne Mariam quidem ipsam consecrare posse,*

Sess. 12.

S.Pau. Col.3.

Luther. lib. de miss. pri. & vnct. sacerd.

posse; sed & contra dico si Diabolus ipse veniret, & ego postea rescirerem, diabolum sic irrepsisse in officium Pastoris Ecclesiæ, in specie hominis, vocatum ad prædicandum, & publice in Ecclesia docuisse, baptizasse, celebrasse missam, & absoluisse à peccatis, & tali munere functum esse, iuxta institutionem Christi, tunc cogeremur fateri, sacramenta ideo non esse inefficacia, sed verum baptismum, verum Euangelium, veram absolutionem, verum sacramentum corporis & sanguinis Christianos accepisse. Sed hæc sacramenta sibi capiant Prædicantes digni tali Ministro.

LI. Sed nihil est quod magis Prædicantium causam infirmet, nihil quod eos maiori rubore suffundat, quã quod contra suas proprias theses, in vtroque principali puncto totius controuersiæ, Catholicis palmam cedere coacti sunt, & sua propria confessione proprias theses euertere. Certe thesis eorum secunda disertè asseruit, *Scripturam omnium controuersiarum Religionis esse iudicem, aut sanè vocem supremi iudicis*, atqui in progressu Colloquij apertè concessit & concedere coactus fuit Hunnius, esse aliquas controuersias Religionis, quæ sola Scriptura iudice, decidi non possint; inter quas verbi gratia est illa, an Euangelium S. Matthæi sit Matthæi, atque adeo canonicum, an Euangelium Nicodemi sit canonicum, &c. Et eadem ratio est omnium & singulorũ Scripturæ librorum. Sess. 10.

LII. Neque minus circa alterum controuersiæ caput, proprias suas theses propria confessione eliserunt, quando tandem vi argumentorum compulsi admiserunt, quædam diuina ac *infallibili* fide, & quidem *eâdem illa, qua SS. Trinitatis aut Incarnationis mysterium creditur esse credenda*, quæ tamen nec in Scriptura apertè extent, nec ex ea sola euidenter deducantur, nimirum quod Sess. 11. & 13.

Euangelium S. Matthæi sit Matthęi siue canonicum, & eadem est aliorum Scripturæ librorum ratio.

Neq; profectò hoc exiguũ quiddã est, aut in causis Religionis parui ducendum: sed idipsum, quo fides nostra nititur. Si enim in hoc erratur, iam fidei nostræ quasi fundamentum aliquod subruitur. Sed hoc non esse dogma fidei, dicit Hunnius. Quid tum? hoc ipsum scilicet ineptè dicit, vt supra ostendimus.

Deinde esto non appelletur dogma, est tamen profectò aliquid, quod extra Scripturam necessario credendum est, consequenter Scriptura non est *vnica norma fidei Christianæ, vt* in sua Thesi asseruerant, his verbis. *Verbum Dei Prophetarum, Euangelistarum, & Apostolorum scriptis comprehensum, doctrinæ, cultus, ac FIDEI CHRISTIANÆ VNICAM, certam atq; infallibilem normam, regulam ac mensuram, cui propter ipsum Deum authorem fides per se habenda sit, indubitanter agnoscimus.* Habes hic Lector, quinam victores, qui victi ex Colloquio discesserint.

LIII. Sed quia finis coronat opus, par erat, vt Prędicantes Colloquium ab Absurditatibus inchoatum, eodemque filo constanter pertextum non dissimili quoque fine seu nodo concluderent. Itaque
Sess. 13. cum suum illud probrum, quo suamet Confessione, vt dictum est, thesin suam euerterant, æquo animo ferre non possent, in Protocolli reuisione, quæ finito Colloquio facta est, confessionem illam sibi tàm ignominiosam ita consulto emendarunt, vt ne menda quidem vlla turpior vel imprudentibus accidere potuisset. Cum enim in Sessione 13. confessi fuissent, aliquid necessariò, & quidem *infallibili fide* credendum, quod à Spiritu Sancto traditum esset, ipsi proprio consilio

filio, pro voce TRADITAM, supposuerunt DESCRIPTAM. Quod vsque adeo verum est, vt nec ipsi quidem Prædicantes Neuburgenses, in appendice illa sui Protocolli, suo & suorum collegarum, qui Colloquio interfuerunt, nomine edita, id sibi in Præfatione Monacensis Colloquij optimo iure obiectum negare ausi fuerint. Et nonne hæc est bella totius Comediæ catastrophe? planè maiore nunc à me plausu excipienda, nisi hac de re satis alibi dictum fuisset. Omitto cætera: Facilius enim vel ex incultissimo agro zizania, quàm omnia Prædicantium absurda ex Protocollo colligantur. Ex collectis tamen de cæteris iudicare poterit Lector. Et *certè si decima saltem ex parte,* vt hunc absurdorum catalogum, Hunnij, præcipui earum absurditatum architecti, verbis concludam, *tam fuissemus absurdi, quæ per Deum immortalem gloriationes, quæ congratulationes, qui triumphi, quæ reportatæ victoriæ trophæa monumentaq́ue,* quæ ad tabernas tam vinarias, quam Cereuisiarias coitiones, & commessationes, quantæ in omnibus Synagogis Lutheranis *gratiarum actiones auditæ fuissent & animaduersæ.* Hæc planè tua Relatione, quam *Synopsin præcipuarum rerum, quæ in Colloquio obseruandæ veniunt,* Hæc inquam, *annotare debuisti, logodædale* Hunni, vt inde omnes *& profligatam absurditatem, & extremam vanitatem & effusam impietatem* cognoscerent doctrinæ Prædicanticæ, & nisi Tiresia cæcior esses, tu ipse quoq; *perspiceres, vel etiam manibus palpares,* quam sint Prædicantes, & tu inprimis eorum Archisynagogus, *in tractandis rebus diuinis bliteí & insulsi, planeq́ue* πρὸς τὴν λύραν ὄνοι.

Relat. part. 3. cap. 6.

Not. Hun. fol. B. 2

GA-

CAPVT VIGECIMVM

PRÆDICANTES, NON *autem Iesuitas, patrocinium omnium hæreseon in Colloquio suscepisse.*

CRriminatur inter cætera Hunnius, Iesuitas, præsertim verò Tannerum, omnium prope hæreseon patrocinium suscepisse. Et primo quidem Pharisæorum, *dum contra totam Historiam Euangelicam flagitiosissime pronunciabant*, vt loquitur Prædicans, *illos in doctrina publica non errasse.* II. Arianorum, dum *Tannerus Testimonium illud Apostoli, Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, contra Arianos productum, eludere impie conatus est*, vt pro insita sibi pietate loquitur Hunnius, *stropha quadam, qua & cum grãmatica pugnabat.* III. Anabaptistarum, dum *pædobaptismum, nec in scripturis expressè tradi, nec inde per validam & euidentem consequentiam deduci posse, contendebat.* IV. Heluidii, *vrgendo ipsius argumenta, virginitati Mariæ opposita.* V. *Omnium hæreticorum, clamando, nullam, nullam, nullam vnquam hæresin* (sepósita infallibili aliqua Ecclesiæ authoritate) *ex sola scriptura sufficienter refutari potuisse.*

Rom. 9.

Cæterum hæc qualia sint, videamus. Et ad Pharisæos quod attinet, plus certè in eorum fauorem non diximus, neque studiosius patrocinium eorum suscepimus quam Christus ipse, qui sine exceptione decreta Pharisæorum, ex cathedra Moysis cum publica authoritate præscripta inuiolatè obseruanda præcepit, testante

ſtante Apoſtolo. *Super cathedram Moyſis ſederunt ſcribæ & Phariſæi, omnia ergo quæcunq; dixerint vobis ſeruate & facite.* Matth. 23.
Itaq; ſi quando Phariſæi aut ſcribæ, ex cathedra Moyſis, cum publica authoritate, quippiam definiebant, tunc omnino ex mandato Chriſti audiendi erant: vt etiam colligitur ex alijs ſcripturæ locis. Deuter. 17. 2. Paralip. 19. Quæ quidem authoritas definiendi penitus infallibilis erat, quouſq; Chriſtus ipſe ſupremi judicis, & Pontificis munus obire inciperet.

Poſtea verò Phariſæos in definiendo erraſſe, negatum minimè eſt, vt & in priuata doctrina, quando ſcilicet nihil ipſi velut ſupremi judices Iſraëlitici populi in dubijs fidei controuerſijs definiebant, erraſſe vltro cōceſſum eſt. Sed inepti Prædicantes, dum non intelligunt, aut intelligere nolunt, quid hoc loco ſit priuata, quid publica doctrina, noſtram ſententiam, quam non intelligunt, improbe calumniantur. Sed fortaſſe hoc dolet Moſaico Doctori, quod cathedræ Moyſis ſolummodo vſq; ad tempus illud, quo Chriſtus officium judicis in terris ſuſcepit, infallibilem judicandi authoritatem conceſſimus, cum tamen ipſe cathedram Moyſis *æternam* ſeruare cupiat. Sed condonabit nobis Prædicans, quod nec plus, nec minus Moſaicæ cathedræ tribuamus, quam ſcriptura tribuit.

Ad Arianos quod attinet, non ego locum illum eludere, nedum *impie eludere conatus* ſum, vt improbe calumniatur Hunnius. Agnoſco enim locum illum, non rejecta authoritate Sanctorum Patrum & Eccleſiæ, quam niſi impius nemo reijciat, validum eſſe ad conuincendos Arianos. Sed id ſolum eſt quod dixi, ſepoſita Eccleſiæ ac ſanctorum Patrum authoritate, *facillimè ad*

eum locum reſponderi ab Arianis poſſe, illud, Qui eſt benedictus Deus in ſæcula, ad Deum Patrem, non ad Filium referri, ita ſcilicet, vt illic noua periodus incipiat, vt Eraſmus cenſuit, in hoc impiè, quod contra ſanctorum Patrum authoritatem abſolute ita legendum eſſe judicauit.

Quod autem de grammatica dicit Hunnius, non admodum bonus, vt apparet, grammaticus, fateor meam ignorantiam, quod nec in latina, nec in græca grammatica quicquam obſtare video, quo minus aut græcè, aut latine locus ita legi ac intelligi poſſit. Neq; ſanè hoc latuiſſet Eraſmum, qui tantum abeſt, vt grammaticam illi Arianorum interpretationi obſtare quidquam putauerit, vt potius ex grammatica quadam præceptione inaniter inductus, ſuſpicatus fuerit, locum illum ad eum, quem dixi ſenſum eſſe legendum. Interim Hunnio ſuam, quam mihi impegit, calumniam condonaturum me ſpondeo, ſi oſtenderit quænam regula grammaticæ ſeu græcæ ſeu latinæ obſtet, quo minus, vel græcum illud ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς, aut latinum hoc, *qui eſt ſuper omnia Deus*, ad Deum Patrem referri poſſit. Certè Bellarminus ex grammatica Eraſmũ nequaquã impugnat, ſed Eccleſiæ & ſanctorum Patrum authoritate. Vt plane mihi perſuadeam, non ſolum falsò Hunnium in Colloquio aſſeruiſſe, *Bellarminum ſolide demonſtraſſe grammaticam obſtare* ſupradictæ explicationi eius loci, ſed etiamnum falli, dum omiſſo Bellarmini patrocinio, abſolutè ait, *grammaticã obſtare*. Vel hoc igitur experimẽto peritiam linguę gręcę in Hunnio explorabo.

Ad Anabaptiſtas, Heluidiũ, & alios hæreticos generatim quod attinet, fateor, Pædobaptiſmum, & perpetuam virginitatem Beatæ Virginis ex traditione magis,

gis, quam ex ſcriptura probari, nec eſſe difficile, ſepoſita Eccleſiæ authoritate, ad argumenta ſcripturæ, quibus prædicta dogmata probentur, reſpondere. Nam & ſanctus Auguſtinus, & Origenes, vt taceam plæroſq; recentiores controuerſiarum tractatores, eiuſmodi dogmata in traditionibus non ſcriptis numerant.

Deinde rurſum palam profiteor, *nullam nullam nullam hæreſin* ex ſola ſcriptura, ſepoſita Eccleſiæ authoritate, ſufficienter refutari poſſe, quod ex ipſorum quoq; aduerſariorum ſententia neceſſario dicendum eſſe, ſupra oſtendi. Et licet *iſtiusmodi quidem ſint vomitus & nauſea hæreticorum*, vt cum Sancto Athanaſio loquar, *non tamen veritatis ſententia obticeri debet, ſed magna imprimis voce enuncianda eſt.*

Doleant igitur Hæretici, & fremant, vt lubet: Hic illis in vlcere vnguis eſto, non ideo veritas conticeſcet: Sepoſita infallibili aliqua Eccleſiæ authoritate, non tantum nulla hæreſis, ex ea ſufficienter refutari poterit, ſed vniuerſim *parum proderit ſcriptura*, vt recte dixit Bellarminus. Sicut parum proſunt cuiuſcunq; generis medicæ herbæ, & pharmaca, quantumlibet præſtantia, niſi peritus medicus adſit, qui earum vſum ad ſanitatem conſeruandam aut acquirendam doceat.

Imo confidenter dico, ſi Eccleſiæ authoritatem negligere & contemnere licet, quod nemo niſi extremè impius aut ſtolidus dixerit, fateor, non magis Arium, Macedoniũ, Neſtorium, Eutychen ex ſcripturis ſolis cõuinci poſſe, quã Lutherum, Caluinũ, Zuingliũ, & queuis alium, qui vel malitioſè, cũ iſtis erronib'

se coniungere velit, aut etiam ex præmeditata impietate nouam hæresin prudens excogitare.

Quinetiam rursus publica voce pronuncio, si Lutherus, Caluinus, Zvvinglius, Anabaptistæ cum suis quiq; asseclis, hactenus sufficienter per Ecclesiam de errore conuicti non sunt, tunc neq; Arium, neq; Macedonium, neq; Nestorium, neq; Entychen, nec vllum ex hæreticis, qui hactenus in Ecclesia fuerunt, sufficienter conuictum fuisse, vel per solam scripturam, vel per Ecclesiam.

Et verò tantum abest, vt hoc sit *hæreticorum patrocinium suscipere*, vt potius nihil sit aliud, quam hæreses omnes, non tantum amputatis hinc inde surculis, defalcare, sed & funditus ac radicitus euertere. Imprimis enim hac ratione monstratur ac defenditur authoritas illa, per quam hæreses omnes, quotquot hactenus fuerunt, jugulatæ sunt, quam nobis Christus in Euangelio tam sollicitè commendauit. *Dic Ecclesiæ, Si* Matth. 18. *Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*. Neq; refert quod hæretici aliquando hanc ipsam authoritatem respuunt & contemnunt. Nam ideo vel maxime digni sunt Ecclesiæ anathemate. Et nimis stultum est, credere, reum ideò à legitimi Magistratus potestate eximi, aut ab eo legitimè & sufficienter condemnari non posse, quòd eius ipse authoritatem non agnoscit. Nimis, inquam, hæc stulta, & ridicula persuasio est. Nobis certè quisquis Ecclesiam non audit, siue quod eius authoritatem non agnoscit, siue quod agnitæ obtemperare contumaciter detrectat, sine omni vlteriori disquisitione, aut examine, Ecclesiæ sententiæ damnatus, juxta præscriptum Christi, *erit sicut Ethnicus & Publicanus*.

De-

Deinde etiam hac ratione illud hæreticorum commune κρηςφύγετν, quo passim omnes ex scriptura ad proprias phantasias malè detorta, & sub modio priuatæ explicationis occultata, seipsos tueri adnituntur, vt passim Sancti Patres testantur & à me alibi luculenter demonstratum est, penitus conuellitur ac dissipatur, quando palam fit, præter scripturam opus etiam esse aliqua infallibili Ecclesiæ authoritate, scripturam proponentis ac explicantis, & contrarios errores damnantis, vt & in Colloquio varijs argumentis, & in Protocollo multis Sanctorum Patrum testimonijs comprobatum est. Relat. Part. 1. Ca. 11

Vnde manifestum est, pronunciatum illud Catholicũ nõ tantum hæreticis nõ fauere, sed potius contrarium aduersariorum dogma, quod videlicet sola scriptura, absq; omni alia infallibili Ecclesiæ authoritate, sufficiat ad omnes hæreses damnandas, ipsissimã radicẽ & originẽ esse *non modo præsentis confusionis Babylonicæ*, sed am omnium prope, quæ vnquam hactenus fuerut hæreseon. Hinc enim factum est, vt dum suo quisq; arbitratu & sensu scripturam intelligeret, atq; sic etiam intelligere, seposita omni maiorum authoritate, fas esse duceret, noua in Ecclesiam dogmata, noua commẽta, ac inaudita propriæ rationis figmenta, tanquam ipsissima fidei dogmata introducerentur. Hinc ergo antiqua dogmata audacter repudiata, hinc *nouitium virus exhalatum*, *profanæ nouitates apertæ*, Ecclesiæ seps scissa, *Patrum termini translati*, *Catholica fides cæsa*, *Ecclesiasticum dogma laceratum*, vt Vincentij illius doctissimi viri verbis vtar. *Neq; enim natæ sunt hæreses*, vt sapienter notauit S. Augustinus, *& quædam dogmata peruersitatis illaqueantia animũ*, Vincen. Lyri. Cap. 36. August. Tracta. 18. In Ioann.

nisi dum scripturæ bonæ intelliguntur non bene, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temerè & audacter asseritur.

Et hoc ipso plane hæreticus ab errante fideli distinguitur, quod si quando fidelis, pro humana fragilitate, errat in aliquo fidei dogmate, contumaciter non errat, sed paratus corrigi & doceri ab Ecclesia, quam agnoscit esse *columnam & firmamentum veritatis,* cuius etiam judicio suam sententiam penitus subijcit. Hæreticus autem, quia in scripturis explicandis, suummet caput pro suprema regula, & magistro habet, ideo sanctorum Patrum atq; Ecclesiæ authoritatem, si quando suis decretis aduersari intelligit, facilè reijcit ac contemnit. Hinc sicut veteres illi Patres, qui verum Christianitatis spiritum, quasi ab ipsis Apostolis sine medio suxerunt, Ecclesiastica authoritate siue traditione, in rebus fidei, iubent esse contentos: *Traditio est,* inquiunt, *nihil quæras amplius*: Ita ipsi è contrario: hæc mea sententia est, hoc placitum meum, ita me authore scriptura intelligenda est, & vt ille dicebat: Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas. *Nihil ergo quæras amplius.*

1.Tim 3.

Chrysost. in 2. Thessal. cap. 2. Homil 4. Theophylact. in eundem locum.

Satis ergo patet, non nisi meram esse calumniam, quod Hunnius ait, eo pronunciato hæreseon patrocinium à nobis esse susceptum, vt interim taceam, id pronunciatum tale esse, vt ab ipso quoq; Hunnio necessario recipiendum, & defendendum sit, vt supra ostensum est.

Sed mirari lubet, cur Hunnius inter alios hæreticos, quorum patrocinium susceperim, non etiam numeret Caluinistas, cum tamen in Sess. 13. asseruerim atq; etiam ostenderim, ne Caluinistas quidem sufficienter condemnari posse, si quidem præter scripturam, vt aduersarij dicebant, non sit alius judex visibilis

lis & infallibilis in terris: *sufficienter*, inquam, ita, vt citra contumaciam in sua sententia nequeat persistere. Quo sane tam alto silentio non obscurè significat Hunnius, se jam cum Caluinistis societatis & fraternitatis dextras junxisse, quandoquidem eos in hæreticis, quibus ego fauerim, non numerauit, numeraturus haud dubie, nisi eorum ipse amicitiam aut foueret, aut ambiret. Et quid mirum, amicum aut socium Caluinistarũ esse Hunniũ, qui tam amica eis & socia dogmata, de infantibus absq; baptismo saluis, de internis critirijs, p̃ quæ scriptura Canonica cognoscatur, defendit.

CAPVT VIGESIMVM primum.

DE CONTRADICTIONIBUS, quas Catholicis Collocutoribus falsò impingit Hunnius.

MVLTIS verbis exaggerat verbosus Prædicans, *quam fœdè*, vt ait, *Papistici Collocutores non modo inter se pugnent, sed ab alijs quoq; Pontificiis Doctoribus, imò ab ipso Bellarmino dissideant.* Sed Hunnium vanum etiam in hoc, vt in alijs, esse calumniatorem, mox planũ faciam. Interim ita calumniari Hunnium nihil miror. Est planè hoc hæreticis non insuetum, vt quando contra Catholicos stare se non posse aduertunt, ipsos proprijs quibusdam dissensionum & contradictionũ vinculis implicare conentur. Ita enim & Iulianus ille Pelagian⁹ Augustino sanctum Chrysostomum obijcit, quasi eius sententiæ oppositum docuerit. *Sed absit*, inquit Augustinus, *absit hoc malum de tanto viro credere, aut dicere. Absit*

Relat. Hunn. fol. G.1.&c.

August. lib. 1. cont. Iulian.

Absit inquam, vt Constantinopolitanus Ioannes de baptismate paruulorum, eorumq́; à paterno Chirographo liberatione per Christum tot ac tantis Coepiscopis suis, maximeq́; Romano Innocentio, Carthaginiensi Cypriano, Cappadoci Basilio, Gregorio Nazianzeno, Gallo Hilario, Mediolanensi resistat Ambrosio. Et addit: *Alia sunt in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atq́; optimi regulæ Catholicæ defensores, salua fidei compage non consonant, & alius alio de vna re melius aliquid dicit, & verius. &c.* Ita Augustinus Iuliano, ego Hunnio. Sed jam videamus Hunnianas illas contradictiones.

Primo igitur tertius consessus, inquit Prædicans, *mirum nobis exhibuit conflictum fraterculorum Iesuiticorum, inter se Cadmæo prælio digladiantium. Etenim cum alter ipsorum Sessione secunda pronunciasset, Pharisæos adhuc dum Matth. 23. habuisse infallibilem autoritatem, vt in doctrina publica non errarent, en alter Iesuita Collegam suum velut ex professo refutaturus, cum vrgeretur scripturæ testimonijs, asseuerabat consessu tertio, exhibito Christo summam illam judiciariam potestatem infallibiliter docendi & decernendi non amplius fuisse penes sacerdotes, præsertim cum inciperent agitare concilia contra Christum.* An non hic mirus planè conflictus est Iesuitarum? Sed inprimis etsi hîc diuersum quippiam à me sensisset P. Iacobus Gretserus, quantum id quæso esset, vt inter *fœdas dissensiones Collocutorum Papisticorum*, propterea numerandum esset, ab Hunnio? Nulla hîc res fidei agitur, sed quæstionis, eius planè generis, in quo *aliquando etiam doctissimi atq́; optimi regulæ Catholicæ defensores salua fidei compage non consonant*, vt paulo ante ex Augustino diximus. Neq; aliò spectabat vtriusq; responsio, quam ad argumentū quoddam aduersariorum dissoluendum. Neq; tam imperitus, credo, est Hunnius, quin sciat, hoc in genere, quan-

quando de argumentis aduersariorum solvendis agitur, absq; vlla reprehensione non solum à diuersis, sed etiam ab eodem diuersas, eiusdem argumenti solutiones, recepta inter doctissimos consuetudine, adferri posse. Deinde respondeo, merum Hunnij figmentum esse, dū vllam inter nos dissensionem fuisse asserit: sicut etiam in Colloquio hanc ob causam sæpius à me de falsitate taxatus est. Dixit P. Iacobus Gretserus, habuisse Pharisæos & sacerdotes Synagogæ judices infallibilem autoritatem, sed nonnisi quoad *actum secundū negatiuè, vt* scilicet *in doctrina publica* seu definiendo (de facto) *non errarent*, (referente ipsomet Prædicante) vsq; ad tempus Passioni dominicæ vicinum. Ego verò quicquid sit de hoc, respondi Pharisæos & sacerdotes jam præsente & suo munere fungente Christo, non habuisse amplius infallibilem autoritatem definiendi, non quoad actū secūdū, quasi de facto ante tempus vicinū dominicæ passioni errauerint in definiendo, sed quoad actum quasi primum & habitum, ita scilicet, vt non modo de facto in definiend non errarent, sed nec possent quidem errare. Eiusq; rationem apertam reddidi, quia summa judiciaria potestas, non erat amplius penes illos, sed penes Christum. Itaq; diuersum quidem aliquid diximus, sed contrarium nihil dixim⁹. Et mendacium est Hunnij, me velut ex professo refutaturum dicta P. Gretseri, (quem vt meum aliquando Præceptorem jure colo) quicquam dixisse: sicut etiam illud mendacium est, quando infra ait Hunnius, me fassum esse, q̄ sacerdotes Ioann. 7. ex cathedra pronunciando seu definiendo errarint.

Secundam contradictionem, & planè irreconciliabilem nectit Hunnius, Et quænam illa? *Contra medium,*

 inquit,

inquit, *illud externum, quod pro fœmellis, vt & masculis in veteri Testamento non circumcisis, vsurpatum somniant, possemus producere Bellarminum libro 1. de Sacra. Baptis. cap. 4. sic differente. Etiamsi paruuli sine sua culpa non baptizantur, non tamen sine sua culpa pereunt, cum habeant originale peccatum, qui autem fingunt alia remedia præter Baptismum, apertissime pugnant cum Euangelio, concilijs, Patribus, atq; Ecclesiæ vniuersæ consensu.* Annon hæc manifesta contradictio est? Imo an non hæc manifesta stoliditas aut malitia Hunnij? qui contradictionem somniat aut fingit, vbi nulla est. Nos loquebamur de circumcisione, & Bellarminus loquitur de Baptismo, nos de fœmellis & masculis veteris Testamenti nō circumcisis, Bellarminus autem de infantibus noui testamenti non baptizatis. Illos aliud salutis remedium externum habuisse affirmauimus. Hoc ipsum etiam Bellarminus expresse asserit, vt ipsemet Hunnius confitetur, istos vero præter baptismum nullum aliud salutis remedium habere affirmat Bellarminus, nos itidē cum illo contra Hunnium disertissimè. Et nonne istæ sunt fœdæ dissensiones, quib⁹ Catholici colloquutores à Bellarmino dissident?

Sed bene est, quod Hunnius ipsummet Bellarminum sibi contrarium facit. *Quia verò*, inquit, *nihilominus Bellarminus infantibus veteris Testamenti tale remedium concedit, noui Testamenti paruulis negat, est & ipse sibi contrarius.* Verum nimis insanus es, Hunni, dum omnes eos censes repugnare sibi, qui repugnant tibi. Consonare enim alioquin vtrumq; pulcherrime supra ostendimus.

Et qua ratione tibi consentiremus Hunni? Aut enim dicendum esset, sine baptismo saluari infantes.

Sed

Sed repugnat ſcriptura, repugnat orthodoxa antiquitas, repugnat Eccleſia Catholica vniuerſa, cui repugnare, vt tibi conſentiat, nemini conſultum eſt. Aut fatendum, infantes veteris Teſtamenti non circumciſos, ſine omni externo remedio ſaluatos eſſe, vt tu aſſeris. Sed in hoc Moſaicum te Doctorem præſtas, magis erga Iudæorum, quam Chriſtianorum infantes beneuolum, à quo proinde conſultò diſcedimus, vt Chriſtiani maneamus. Aut dicendum eſſet, infantes veteris Teſtamenti non circumciſos eſſe damnatos. Sed hoc ſentire tuipſe prohibes.

Itaq; tuto & magna omnium dictorum harmonia, media via incedimus. Nam vt infantes veteris Teſtamenti non circumciſos ſaluatos concedimus, ſed non abſq; remedio externo, damnandos, ſi eo non vterentur. Ita infantes noui Teſtamenti ſaluari aſſerimus, ſed non abſq; remedio externo, damnandos vtiq;, ſi tali remedio non iuuentur.

Quare autem nihilominus Catholici infantibus veteris Teſtamenti aliud remedium concedant, præter circumciſionem: Infantibus autem noui Teſtamenti nullum, præter baptiſmum aut fluminis, aut ſanguinis, in promptu cauſa eſt. Cum enim baptiſmus & per ſe remedium ſit facillimum, & maximè obuium, nec ex parte Dei vlla obſtet lex, quo minus à quolibet, quocunq; loco & tempore, in neceſſitate infantibus adminiſtrari poſſit, non erat neceſſarium, vt aliud remedium externum pro infantibus inſtitueretur. At vero quia circumciſio & per ſe difficile, nec vniuerſale pro omnibus infantibus remedium erat, nec etiam ipſi maſculi, ex diuino præcepto ante octauum diem eius capaces erant, planè opus erat

alio remedio, quo infantes saluarentur, ne alioqui Deus ipse causa perditionis infantum sine circumcisione morientium censeri posset. Habes igitur, Hunni, & Bellarminum sibi, & Catholicos Bellarmino hac in re pulcherrimè consentientes.

Sed pergit Hunnius tertiam & quartam contradictionem nectere, ex illo P. Iacobi Gretseri dicto, quo Latronem in cruce Martyrem, & baptismo sanguinis baptizatum fuisse asserit, in quo Bellarmino dissentientem facit, sed frustra. Vt enim Bellarminus impropriè hoc dici posse non negat, ita nec Gretserus propriè hoc à se dictum asseruit. Et est quæstio ipsa tota in verbis sita, nec rem quicquam concernit. Vt taceam Bellarminum ex sua sententia nihil definire. Sed de hoc modo loquendi supra plura.

Relat. Hunn. f. G. 1. Quintam facit contradictionem Hunius, quòd *contendebant Iesuitæ, Aaronem non fuisse summum sacerdotem, sed Moysen, at contra*, inquit, *Bellarminus lib. 1. de. Cler. cap. 14. sic ait: In veteri Testamento erat vnus summus sacerdos, Aaron & qui ei succedebant.* Sed rursus insigniter impudens es Hunni, qui contra tuam conscientiam Bellarminum à nostra sententia distrahere conaris. Cum tamen apertissime, & ex instituto, nostram illam sententiam tueatur, & probet. Eius enim hæc sunt verba: *Ad obiectionem aduersariorum Respondeo, Moysen fuisse Pontificem, & quidem summum & Aarone maiorem, non quidem ordinarium, cui succederetur, is enim vnus tantum esse poterat, & ille erat Aaron, sed extraordinarium à Deo specialiter constitutum.* Et infra ait: *Vere & propriè fuisse Mosen sacerdotem, patet ex lib. Exod. cap. 28. 39. Vbi Moses exercet omnia munera sacerdotalia. Siquidem sacrificiat, docet, consecrat vestes, & quod maius est, Pontificem & sacerdotes*

Hun. mend.

Bellar. lib. 3. de Ver Dei. cap. 4.

tes inungit & initiat. Et mox addit: *Quocirca Mosen proprie sacerdotem fuisse docent omnes ferè veteres Philo lib. 3. de vita Moysis, extremo, Dionys. cap. 5. Ecclesiast. Hierarch. Nazianzen. in orat. habita, coram Gregorio Nysseno, August: in psalm 98. Hieron. lib. in* Iouin. *&c.* Ita Bellarminus, qui nostram sententiam luculentius tueri non potuisset. Et tu impudens Hunni, diei oculos vis effodere: perge modo, si ita placet insanire. Tandem spero etiam tui videbunt, cui credant. hæc nimirum est bona fides vestra. Vt Bellarminum tractatis, ita scripturam. Neq; verò opus est, vt Bellarmini verbis à te citatis adhibeatur explicatio. Satis enim seipsum declarauit Bellarminus.

VI. *Iesuita,* inquit Hunnius, *contendebant, non Aaronem ipsum vel authorem, vel directorem, & approbatorem fuisse cultus Idololatrici, Exod. 32. sed quicquid ibi legatur fecisse, permissiuè esse intelligendum. Bellarminus ipsummet Aaronem talia patrasse non negat, sed liberaliter concedit. Alio autem vtitur effugio, quod tunc temporis nondum fuerit summus Pontifex.* **Relat. Hunn. ibid.**

Respondeo, aut vult Hunnius Bellarminum liberaliter concedere, Aaronem talia patrasse, hoc est, vel proprijs manibus fecisse, altare nimirum, vitulum &c. vel certe authorem siue approbatorem fuisse Idololatrici cultus, & tunc Hunnius liberaliter mentitur. **Hunn. mend.** Nusquam enim hoc asserit Bellarminus: sed quicquid Aaron fecerit, respondit Bellarminus, eum tunc non fuisse summum sacerdotem, quod etiam nos diximus.

Aut vult Hunnius, Bellarminum solum concedere, Aaronem etiam disposuisse quædam circa eam rem, quibus sperabat, populum ab Idololatria reuocatum iri, vt superius explicatum est, & tunc mentitur Hun-

nius, id à nobis esse negatum, qui solum diximus, Aaronem non fuisse autorem, nec approbatorem sceleris, nec per se pleraq; fecisse, nec omnino fecisse quicquam Idololatrici cultus promouendi causa. Verba Bellarmini sunt hæc.

Bell. lib. 3. de Eccle. cap. 16.

Ad secundum de peccato Aaronis, & populi in cultu vituli aurei, dico, eo tempore neq; caput, neq; corpus Ecclesiæ defecisse. Nam caput erat solus Moyses, quem certum est, non errasse. Aaron siquidem nondum erat Pontifex. Nam postea factus est, vt patet Exod. 40. &c. Ita Bellarminus, dum vnam solutionem huius argumenti adfert, alteram non reijcit, sicut etiam à nostris duplex, aut triplex eiusdem argumenti solutio allata est.

Relat. Hunn. ibid.

VII. *Pronunciabat Tannerus, omnia quæ in Biblijs leguntur esse articulos fidei, quod affirmatum Bellarminus minimè concesserit, cum ait lib. 4. de Verbo Dei, cap. 12. In scripturis plurima sunt, quæ ex se non pertinent ad fidem. &c.* Et nonne hæc sibi magnopere contradicunt: Bellarminus ait, in scripturis plurima esse, *quæ ex se non pertinent ad fidem*, id est, quæ nõ ideo scripta sunt, quia necessario credenda erant, sed necessario creduntur, quia scripta sunt. Tannerus omnes propositiones fidei (tametsi ex sese, vt Bellarminus loquitur, ad fidem non pertineant,) generali quadam ratione, & vsitata quoq; inter Theologos nominis acceptione, vocauit articulos fidei. Et quis hanc contradictionem componat?

Relat. Hunn. fol. S, z, 3.

VIII. *Pædobaptismum euidenter ex scriptura probari posse, negat Iesuita Tannerus*, (inquit noster Prædicans) *idq; prolixissimè contendit, Bellarminus, ceu directe arguens mendacij Tannerum lib. 1. de sacram. Bapt. cap. 9. in solutione noni argumenti, testatur, infantum baptismum deduci euidenter ex scripturis.*

Sed

Sed vt taceam, quod Hunnius mendaciter mihi tribuit, à me absolutè negatum esse, Pædobaptismum euidenter ex scripturis probari posse, cum addiderim semper limitationem, non posse videlicet deduci euidenter, *seposita Ecclesiæ authoritate*, etiam in alio Bellarminus *directè arguit mendacij* Hunnium, dum alio loco Pædobaptismum inter traditiones nō scriptas memorat, his verbis: *Decimo*, inquit, *credere oportet, & credunt nobiscum Lutherani & Caluinistæ contra Anabaptistas, baptismum paruulorum esse ratum. Id autem ex solis scripturis nec Catholici probant, nec Lutherani probare vllo modo possunt. &c.* Et infra ait. *Hinc videlicet Anabaptistæ Lutheranos redigunt ad miras angustias, & cogunt eos, velint nolint, ad traditionem, & vsum Ecclesiæ recurrere.* Quod etiam alibi de Caluinistis asserit.

Hunn. mend.

Bellar. lib. 4. de verb. Dei. Cap. 4.

lib 9. de Bapt.

Vides ergo hîc à Bellarmino diserte asseri, seposita Ecclesiæ authoritate, vt vos facitis, non posse Pædobaptismum ex scripturis omnino euidenter probari, quod à me quoq; assertum est. Licet admissa simul authoritate Ecclesiæ euidenter quoq; ex scripturis colligi posse, quod Bellarminus asserit, nemo Catholicus neget.

IX. *Tannerus ex loco Ioannis tertio, nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. pro stabiliendo Pædobaptismo negat exstrui posse argumentum quod per se solidum sit citra intuitū authoritatis Ecclesiæ. Bellarminus id argumentum tractans lib. 1. de Sacram. Bapt. cap. 8. scribit, hoc argumentum per se & reuera solidum esse, licet Caluinistis verba Christi non intelligentibus de baptismo sit infirmum.*

Relat. Hunn. fol. G. 3.

Sed primo hîc rursus, solito more mentitur Hunnius.

Nun-

Hunn. mend. Nunquam enim probabit, à me in Colloquio dictum esse, ex illo scripturæ loco, non posse extrui argumentum per se solidum, sed potiùs dixi, per accidens, si videlicet impiè spernatur Ecclesiæ authoritas, vt ab Aduersarijs spernitur, non posse inde exstrui argumentum solidum.

Deinde aliud est, argumentum esse solidum, & esse euidens. Non enim omne solidum argumentum est euidens, ita vt intellectum cogat ad assensum. Neq; verò debet Hunnius, me non volente, in re tam lubrica terminos commutare.

Demum illud quoq; hîc obseruandum est, quòd etsi quidem aliquando loca quædam scripturæ, si seorsim & singula per se considerētur, manifesta & euidentia esse videantur, atqueadeo talia, quibus planè euidenter quippiam demonstrari videatur, nihilominus tamen ex collatione eorundem locorum suboriri obscuritatem & difficultatem, ita vt ad verum sensum confirmandum opus sit infallibili aliquâ Ecclesiæ authoritate, scripturam sine errore interpretantis, vt optimè notauit Gregor. de Valentia.

Valent. q. 1. de fid. punct. 7. §. 4.

Itaq; tametsi locus ille scripturæ pro pædobaptismo planum & euidentem sensum facere videatur, si per se spectetur, attamen adhibitâ collatione, cum alijs scripturæ locis, non caret omni difficultate, nec omnem dubitandi facultatem adimit, vt à me quoq; in Colloquio demonstratum.

X. *Impudens illud pronunciatum*, inquit plenus pudore

Relat. Hunn. f. G. 3. Hunnius, *seposita Ecclesiæ authoritate, nullam, nullam, nullam hæresin fuisse vnquam ex scriptura sufficienter refutatam, quomodo vos reliqui Pontificij excepturi sitis: Et si approbaueritis, quomodo*

modo vos ex nodo contradictionis sitis explicaturi, perlibenter equidem videbimus. Sed quid ita res hæc tibi noua videatur, Hunni, nisi quia cæcus es, & quod alioqui in omnium oculos ac aures incurrit, tibi iam inuisum & inauditum apparet. Sed pergit: *Cum enim hactenus plus millies sitis gloriati, Lutheranam hæresin* (cur enim huius emblematis eos pudeat) *exempli gratia, dogma de sola iustificante fide, vel solo Iacobi loco capite 2. refutari euidentissimè: Cumq; imprimis Pistorius in suis scriptis thrasonicè glorietur, de euidentia testimoniorum scripturæ, quibus hæreses Lutheranorum funditus (scilicet) euertat: ecce hanc omnem gloriationem nouus hic Doctorculus Tannerus vno velut ictu deijcit.*

Sed bono esto animo, Hunni, meum illud pronunciatum, quod tuum quoque esse debet, si tuus ipse es, Catholici longè quam tu, æquioribus auribus accipient. Interim dum singulorum sententias perquiris, quid hac de re sentiant, ego tibi facile phantasticum illum contradictionis nodum dissoluam: Vtrumque igitur verissimum est, nec vllam hæresin ex sola Scriptura sufficienter refutatam, seposita infallibili Ecclesiæ authoritate, vt à me supra euidenter demonstratum est, ex fundamentis à teipso concessis, & nihilominus tuam hæresin Lutheranam multis modis ex scriptura euidenter hactenus à Catholicis refutatam: at quomodo? Seclusâne authoritate Ecclesię scripturam ipsam proponentis. Nequaquam. Nullus Catholicus tam arrogans, ne dicam stolidus est.

Quin etiam vltro libenter fatebuntur, omnes Catholici in hæreticis condemnandis, interuenire quoque debere authoritatem aliquam infallibilem Ecclesiæ, scripturam interpretantis. Etsi enim quando-

que quædam ſcripturæ loca per ſe conſiderata euidentia videantur, cum alijs tamen collata difficultatem habent, & dubitandi anſam ingerunt, vt ſupra dixi.

Quid enim, ſi verba, aut verborum connexionem ſpectemus, euidentius: *Hoc eſt corpus meum.* Et tamen Caluiniſtis, dum eas humanæ mentis iudicio cum alijs cōferunt, maximam obſcuritatē præ ſe ferre videntur, adeoq; minimè ſignificare id, quod verba primo intuitu & per ſe propriè ſignificant.

Deinde quid euidentius eſſe poteſt, ſi verba ipſa per ſe præciſè ſpectemus, ad trinitatem perſonarum & vnitaten eſſentiæ in diuinis ſtatuendam illo ſcripturæ teſtimonio. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo. Pater, Verbū, & Spiritus S, & hi tres vnum ſunt.* Et tamen Trinitarijs magnam ſemper hic locus viſus eſt habere obſcuritatem. Quia nimirum id, quod verba prima fronte oſtentant, alibi negari eis videbatur. Ideoque vnitatem voluntatis, non naturæ ibidem ſignificari exiſtimabant.

1. Ioann. 3.

Quin etiam in hac re non modo cuiuſque prudentis & cordati, ſed tuam etiam ipſius quantumuis impudentis & vecordis hominis conſcientiam cōteſtor, an ſi nunquam hactenus in Eccleſia, per mille ſexcentos annos, nec ab orthodoxo, nec hæretico, nec Chriſtiano, nec gentili, neq; Doctore, neq; diſcipulo ſcripto vel voce auditum fuiſſet, Deum eſſe trinū in perſonis, vnum in eſſentia, ſed potius contrariū ſemper omnib. fuiſſet perſuaſiſſimū; An, inquā tu, vel quiſquā alius, tā audax fuiſſet, tamq; ſuo iudicio præfidens, vt ꝑpter ſolas Scripturas Propheticas, aut Apoſtolicas, veteris aut

noui

noui Testamenti, primus ipse tibi illud dogma constanti iudicio persuadere, alijsque suadere in animum induceres, etsi contrarium prius docuisset vniuersa, tã noui quam veteris Testamenti antiquitas. An non potius tunc conaretur quisque ea loca, quibus alioqui Trinitas personarum in Diuinis satis clare astruitur, dissoluere & in alium sensum interpretari?

Equidem ita sentio, si eo casu quisquam in medium se proferre auderet, remque non modo per se adeo abstrusam, reconditam, humanæque rationis captum excedentem, sed etiam, vt ex hypothesi ponimus, insolitam, nouam, ac inauditam aliorum auribus inferre, talem mox conspirantib. sententijs, ab omnib. explodendũ esse: nec immerito posita supra dicta conditione. Quis enim sibi persuaderet, vniuersam hactenus Ecclesiam ignorasse, errasse, & nouitiũ quendam Adæ filium iam primum tam secreta mysteria hactenus à nemine cogitata, in Scripturis reperisse?

Patet ergo etiam in locis Scripturæ euidentissimis oculos mentis ab Ecclesiasticæ traditionis intuitu auertendos nequaquam esse, patet etiam illam Catholicorum gloriationem à me nequaquam deijci, & in nihilum conuerti, patet, nihil me aliis obstrepere Catholicis, vt insulsè obstrepit Hunnius, cui etsi Tannerus nouus Doctorculus appelletur, adhuc tamen Hunnium tantum scilicet Doctorem timere non didicit.

Sed ait hic Mosaicus Doctor, hinc consequens esse, vt Lutherani sufficienter damnari non possint, nisi prius Ecclesiæ nostræ authoritatem *concedant*, atque adeo, *nisi prius in castra Pontificiorum transeant.* Sed miserè fallitur indoctus Hunnius. Iam enim supra o-

tendi, nimis stultum esse existimare, neminem sufficienter à legitimo magistratu damnari, nisi quieius authoritatem prius agnoscat, & confiteatur, aut transfugam militem, à suo legitimo Duce prius condemnari non posse, quam in eius castra sponte redeat.

Roman. 9. XL. *Locum illum S. Pauli ex quibus est Christus secundum carnem qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, eludere cœpit Tannerus, inquit Hunnius, impia stropha, & dicere non probari euidenter ex ijs verbis, Christum esse verum Deum.* At Bellarminus, *Erasmum Rhoderodamum ob hanc ipsam deprauationem à Tannero vsurpatam, Arianæ hæresæos bis insimulat: primo quidē in Præfatione secundæ controuersiæ generalis, de hinc vero & in capite 6. lib. 1. de Christo.* Relat. Hun. fol. 63.

Sed respondeo breuiter, Hunnium ter aut quater improbe mentiri.

Hunn. mend. Primo, quando ait, me conatum esse *eludere* locum illum, cum tamen nihil ex mea sententia dixerim.

Secundo nec illud quidem dixi, ex ijs verbis non probari euidenter, Christum esse verum Deum. Hæc enim fuerunt mea formalia verba Sessione 14. cum Aduersarij locum illum produxissent, vt ostenderent, sufficienter per solam scripturam damnatum fuisse Arium. Hic ego: *Arius facillime responderet: illud, qui est Deus benedictus super omnia, referri ad Deum patrem, non ad filium. Et quid responderetur illi seposita authoritate Ecclesiæ?*

Tertio duplex etiam mendacium Hunnij est illud, quod ait Erasmum à Bellarmino, *ob hanc ipsam causam*, siue responsionem à me datam *bis insimulare hæreseos:*

Primo enim ob meam illam assertionem, quam paulo antè ex Protocollo recitaui, ne minimo quidem verbulo

verbulo taxat aut reprehendit Erasmum Bellarminus, eā ipsam vtique suā authoritate confirmaturus, si opus foret. Sed ideo merito taxat Erasmum, quod hic in eius loci tractatione Ecclesiæ authoritatem ita temerè seponat, absoluteque asserat, hunc locum non esse efficacem ad reuincendos Arianos.

Deinde nec ob hanc præcisè causam, sed & ob alias multo peruersiores strophas quibus Arianorum causam occulte iuuat, Arianæ hæreseos fautorem facit Erasmum : vt clarissimè patet ex his ipsis Bellarmini verrbis. Cum enim produxisset illum scripturæ locum: *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Mirum est*, inquit, *quid non agat Erasmus, quo se non vertat, quid non moliatur, vt hoc telum de manibus nobis extorqueat. Primum vocem Deus supposititiam vult videri. Deinde ait, hunc locum non esse efficacem ad reuincendos Arianos. Deniq; sic optime exponi posse docet, vt post illa verba, ex quibus est Christus secundum carnem, interposito puncto, sequatur actio gratiarum : Super omnia Deus, videlicet Pater, sit benedictus in sæcula.* Bellar. Præfat. Controuers. de Christo.

Vnde hoc Epiphonemate iure perstringit Erasmū Bellarminus: *an poterat*, inquit, *manifestius Arianorum causam suscipere defendendam ?* Quæ verba cum in me improbè contra apertam mentem & verba Bellarmini cōtorserit Hunnius, *quid obstat*, quin verso stylo, & Hunnij verbis paulo mutatis Hunnium *eodem excipiamus modo*, *Quæso te*, Hunni, si vna cum Pseudulo *mercede conductus fuisses*, ad mentiendum poterasne luculentius mentiri? Sed de contradictionibus seu potius mendacijs Hunnij, ex quibus suas illas contradictiones composuit hactenus satis.

CAPVT VIGESIMVM secundum.

DE CONTRADICTIONIBUS QUIBUS IN COLLOQUIO SEMET IMPLICUERUNT PRÆDICANTES.

DE CONTRADICTIO-nibus quibus in Colloquio ſemet impli-cuerunt Prædicantes.

VT aliquam gratiam Hunnio, pro ſua licet inani opera, quam in contradictionibus conquirendis, aut potius vndiq; confingendis, poſuit, referamus, viſum eſt operæ pretium, aliquid ei in hoc genere, ſed maiore ſinceritate & veritate reponere. Et poſſem hic quidem ei magnos hic contradictionum libros, quibus Pſeudoeuangelici inter ſe, & Lutherani à cæteris, extremo & implacabili odio diſſentiunt opponere. Poſſem ab Hunnio petere, vt ex eadem Saxonia Antinomos & Amsdorffianos, cũ Maioriſtis conciliaret, quandoquidẽ eo minus inter ſe conciliati ſũt, quo diutius in Colloquio Altenburgenſi cõciliationi ſtuduerunt. Poſſem eidem obijcere diſſenſionem Subſtantiariorum cum Accidentariis, Muſculanorũ Vvitebergenſium, & Vvirtenbergenſium cum Oſiandrinis, Flaccianorũ cum Maioriſtis, Synergiſtis, & Adiaphoriſtis. Et cuius eſt, Hunni, liber ille Vvitebergæ editus, qui inſcribitur, *Declaratio turpitudinis & peccati eorũ, qui per recõciliationes Interim, à Chriſto ad Antichriſtũ deficiũt*, & cõtra quos editus? Nonne à Lutheranis contra Lutheranos? Cuius & contra quos eſt ille liber Magdeburgi editus, contra Interimiſtas, Adiaphoriſtas & alios Chriſti perſecutores? Cuius & cõtra quos eſt illa neceſſaria & pia admonitio edita Ratisbonæ, contra errores Maioris? Cuius & cõtra quos eſt illa refutatio erroris Oſiandrici Ihenæ edita?

edita? Quorũ & cõtra quos sunt propositiones de peccato originis, cõtra furores Manichæorũ & Pelagianorũ? Cuius & contra quos est illud antidotum, contra impium dogma Illyrici? A quibusnã collecti sunt errores septendecim crassiores Iacobi Andreæ? Cuius & cõtra quos est liber ille, inscriptus *septem spectrorũ Manichæorum discussio?* Cuius & contra quos est ille liber editus de erroribus Georgij Maioris? Quis & quẽ, vt infinita prope alia omittam, in eadem Saxonia, in eadem ciuitate Vvittenbergensi, in eadem Academia, in eadem schola, ex eadem cathedra, eodem tempore ob doctrinã fidei oppugnauit? Nonne Pseudoeuangelicus Pseudoeuangelicũ? Eiusdẽ cõfessionis Augustanæ Professor, professorẽ? Lutheranus, Lutheranũ? collega studiorũ collegã? Hunnius Hueberũ? Hos tu mihi, Hunni, inter se, & te cũ illis concilia, & tunc adsis & Iesuitas dissensionis liberè arguas. *Neque certe sunt lana neq; linum, de quibus hîc disceptatur. Sed de grauissimis doctrinæ Christianæ capitibus, quæ a Maiore & aliis fœde deprauantur*, vt ait vester Ioannes Vvigandus. Idẽ aperte canit vester quoq; ille Nicolaus Gallus. *Sunt*, inquit, *inter nos* (Lutheranos) *non de leuibus rebus dissensiones, sed de lege & Euangelio, de iustificatione & bonis operibus, de sacramentis & vsu Cæremoniarum, quæ quidem coire, simulq; stare haud possunt.* Nec id dissimulare potest Dauid Chytræus, qui lamentabiliter conqueritur, *Euangelicos*, vt aiunt, *Doctores immanius ferè ac turbulentius, quam barbaros milites inter se digladiari.* At fortasse dices, per vestram illam Bergensẽ concordiam omnia hæc dissidia esse sublata? Verum aliud testãtur illa Noua Nouorum, seu Vbiquistica noua, quæ ab ipsismet Protestantibus scitè & falsè VBIQVE collecta, & VBIQVE edita sunt.

Vvigan. lib. de Error. Georg. Maior. Gall. in Thes. & Hypot.

Sed

Sed omitto ista, quandoquidem ab aliis satis prolixè tractata; eas tantum breuiter contradictiones annotaturus, quibus nostri Pseudoeuangelici Colloquutores, vel sibi ipsis, vel alijs suis Symmystis repugnarunt.

In his igitur primum est, quod vterque Prædicans, cum reliquo venerabili collegio Prædicantium, qui Colloquio adfuerunt, & thesibus quoque Pseudoeuangelicis subscripserunt, verbum Dei scriptum constituerunt vnicam normam fidei Christianæ. At Sessione 11. & 14. tandem vi veritatis adactus, aperte confessus est Hunnius, aliquid diuina & infallibili fide, & eadem quidem illa, qua sacrosanctæ Trinitatis aut Incarnationis mysterium credimus, esse credendum, quod tamen nec in Scriptura apertè extet, nec ex ea sola euidenter deducatur.

II. Eadem Sess. 1. thesi secunda, Hunnius cum ijsdem suis Symmystis asseruit, verbum Dei scriptũ esse Iudicem OMNIVM controuersiarum Religionis. Sess. autem 10. tandem fassus est, esse controuersiam aliquam Religionis, quæ sola scriptura iudice dirimi nõ possit, vt etiam supra diximus.

III. Sessione 2. Hunnius nostris sua ex ratione, quę tamen ipsa Scripturę consentanea esset, defendere cupientibus audacter restitit, asserens, *rationem esse cæcam*. At Sessione 2. statim ab Hunnio, magno scilicet miraculorum Patratore, videndi facultas cæcæ rationi collata est, cum ipsemet ad rationem confugeret. *Ipsa* inquit, *ratio hoc conuincit*. Sed meritò etiam ipse cum sua ratione hic iussus est facessere.

IV. Et quomodo alij Pseudoeuangelici dictum illud

illud Mosaici Doctoris excipient, quando Sess. 3. tam disertè pronunciabat, velut in ipsa jam cathedra Moysis collocatus, *cathedram Moysis non esse temporalem, sed æternam.* Certè, Hunni, parens tuus Lutherus multis in locis tibi contradicit. Eius enim hæc sunt verba. *Moses ipse testatus est, suum officium & doctrinam suam non diutius duraturam, quam ad Christi aduentum.* Et in illa concione, qua modum explicat legendi Moysen: *Quid nobis,* inquit, *& Moysi? nihil ad nos attinet illius ministerium & vocatio, quæ illi ad vnum populum Israël tradita est, nec vt maneret perpetua & æterna, sed tantum vsq; ad Christum.* Neq; sanè alterius quam Lutheri, aut Lutherani cuiuspiam sunt illa pronunciata: Alle die mit Moyse vmbgehen / müssen zum Teuffel fahren. An Galgen mit Moyse. Cum his qua ratione suum dictum conciliare velit Hunnius, ipse viderit.

Luth. in præfat. vet. Test.

Tom. 1. VVittenberg. lat. pag. 400.

V. Sess. 2. Hunnius cum suis collegis pertinaciter defendit, Aaronem fuisse autorem, & suasorem Idololatriæ. At Simlerus dicit violentia ac timore mortis à populo inductum fecisse, quod fecit, vt supra ostendi.

VI. Eadem Sess. 2. Iacobus Hailbronnerus dixit, Aaronem tunc, quando commissa est Idololatria à populo, fuisse jam à Deo constitutum & consecratum sacerdotem. Quod quidem dictum cum scripturæ euidenter repugnet, nescio quam æquis auribus percepturi sint alij Prædicantes. Certè Simlerus Tigurēsis & alij commentatores negant.

VII. Quàm bellè sibi constat Rungius, dum Sess. 2. fatetur populum incitasse & instigasse Aaronem ad Idololatricum scelus, sed Aaronem tamen, non populum eius sceleris fuisse authorem.

VIII. Seſſ. 1. Iac. Hailbronnerus dixit: *Quod Deus ore tenus populo mandauit, id omne ſcriptum eſſe.* Eadem Seſſ. conceſſit Hunnius, admittendam fuiſſe etiam in veteri Teſtamento traditionem illam non ſcriptam de libris Moyſis, quod nimirum hi vel libri illi ſint Moyſis, atque adeo verbum Dei: quod vtiq; ex mandato etiam Dei credendum erat.

IX. Seſſ. 8. Hunnius, cum juberetur facere Syllogiſmũ ex ſcripturæ loco, qui abſq; omni conſequentiæ forma prolatus erat, diſertiſſimè profitetur, nolle ſe diſputare, niſi eiuſmodi ſophiſtica ratio coerceatur, vt alia multa argumenta taceam, ab aduerſarijs ſine legitima forma prolata, vt ſupra oſtenſum eſt. At Theologi Neuburgenſes in ſui Protocolli appendice, nomine ſuo & Collegarũ ſuorum, qui Colloquio interfuerunt, atque adeo etiam ipſius Hunnij, diſertè gloriantur, *ſe argumenta ſua omnia & ſingula ex præſcripto legis quartæ Syllogiſmo, vel alia in logicis probata argumentandi forma, propoſuiſſe.*

X. Seſſ. 11. & alias ſubinde dictitauit Hunnius, totam quæſtionem, totam inter nos controuerſiam in hoc verti cardine. *Num videlicet præter ſcripturam Propheticam & Apoſtolicam, aliquæ inſuper traditiones ab Apoſtolo commẽdentur, tanquam dogmata & articuli religionis, quæ dogmata, qui articuli in ſcripto Dei verbo non comprehendantur.* Vbi nomine dogmatis & articuli Hunnius declarauit, ſe intelligere præcipua quædam capita fidei, omnibus neceſſariò credenda. Atqui idem Hunnius cum cæteris Collegis in tertia claſſe teſtimoniorum hæc verba circa finẽ attexuerunt: *Arbitramur, ea dogmata, de quibus inter nos & illos controuertitur, ſimpliciter & neceſſario cognoſcenda, & credẽda non eſſe.*

2. Theſſal. 2.

XI. Seſſ.

XI. Seff. II. afferit Iac. Hailbronnerus, teftificationẽ illam de libris canonicis, *fi propriè de hoc negotio loquamur, non effe traditionem, fed meram teftificationem.* Sed Brentius Hailbronneri forfitan olim Præceptor, eam hoc nomine digniffimam æftimat. *Non enim*, inquit, *vnum tantũ traditionum genus eft. Et aliæ traditiones aliam habent rationem. Præcipua omnium eft ea, quæ nobis in manus tradidit fcripta Prophetica & Apoftolica.* Idem habet Kemnitius: *Secundum genus traditionum eft, quòd libri fcripturæ facræ non interrupta ferie temporum (ficut Auguftinus loquitur) & certa connexionis fucceffione, ab Ecclefia cuftoditi, & fideliter ad Paftores tranfmiffi, nobisq; quafi per manus traditi funt. Ita Origines dicit fe ἐν παραδόσει per traditionem didiciffe, quod quatuor Euangelia, in vniuerfa Ecclefia fint indubitata. Et Eufebius, de libris Canonicis difputans, aliquoties vtitur verbis tradendi & accipiendi. &c.* Et infra ait. *Hanc traditionem, qua nobis in manum dantur facræ fcripturæ libri, reuerenter accipimus.*

Brent. Apol. Confefs. VVittenb. de fcript. Sacra.

XII. Hunnius dixit, eam traditionem effe folum hiftoricam, nec effe *partem verbi diuini.* At Brentius ibidem, *hæc traditio*, inquit, *non eft humana fed diuina*: Si diuina, ergo à DEO tradita, atq; adeo pars verbi diuini.

XIII. Hunnius negauit, eam traditionem effe articulum, aut dogma fidei. At Brentius id credo, minimè negaret, quando ait: *Hac traditione nihil eft certius, nihil ftabilius, & qui ei pertinaciter contradicit, non iam ad hominum, fed diabolorum cælum pertinet.* Et alibi: *Hæc traditio*, inquit, *nobis neceffaria eft, & omnibus modis amplectenda &c.*

Brent. pro leg. de Tradit.

XIV. Hunius afferuit, teftificationẽ de libris Canonicis, nõ ad p̃fentẽ, fed ad primitiuã Ecclefiã p̱tinere, Sed hoc

adeo absurdum est visum Kemnitio, vt ad hoc ipsum vitandum, ne videlicet prior, vel posterior Ecclesia aliqua ab hac testificatione excluderetur, idcirco etiam Pharisæos ad hanc testificationē admittendos contendat. *Quærunt sanè*, inquit, *κρηστόφυγετοι Pontificij, Ecclesiam accepisse libros veteris Testamenti ex traditione non Pharisæorum, sed Prophetarum Christi & Apostolorum. Sed quia series temporum non interrupta, juxta Augustinum, ad hanc rem requiritur, non possunt Pharisæi ab illa testificatione de libris veteris Testamenti excludi.* Ita Kemnitius, quod totidem verbis Hunnio opponimus. *Quia series temporum non interrupta, juxta Augustinum, ad hanc rem requiritur, non potest Ecclesia posterior ab illa testificatione excludi.*

Kemnit. Exam. Concil. Trid. de Tradit.

XV. Hunnius Sess. 9. propositionem illam, *Omnis judex ita debet sententiam dicere, vt altera pars litigans euidenter sciat, se vicisse, altera euidenter sciat se causam amisisse, quantum est ex parte illius judicis*, prius admissam, postea negauit. Sed quid mirum? Angustiæ nimiæ premebant Hunnium. Nec alia affulgebat effugiendi occasio.

XVI. Sess. 10. rursus idem Hunnius concedit maiorem, quam prius negauerat, hanc nimirum: *si non omnia, quæ spectant ad religionem, mores & cultum in scriptura sunt expressa, sequitur, scripturam non esse judicem omnium controuersiarum*, cui etiam annectebatur hęc altera, *si est aliquod dogma seruandum ab omnibus, quod tamen in scriptura contentum non sit, sequitur scripturam sacram non posse esse vnicum judicem controuersiarum.* Sed forsitan habet hîc excusationem Hunnius, quam etiam in Colloquio prætexuit. *Ego non possum*, inquit, *omnia ex tempore notare & resumere.* Itaq; ad duas propositiones respondere Hunnius non poterat, nisi prius in charta descriptas haberet. Vir planè magni

nge-

ingenij. Sed cur ad eas propositiones prius respondit negando, si non intellexit.

XVII. Sed pene oblitus eram, quod fere præcipuum est, illud nimirum Hunnij. Sess. 1. *Petrus ait priore. 3. cap. Quouis tempore reddendam esse rationem fidei.* Quo spectat etiam illud Hunnij, quod *Apostolus manifestissimè contradicat explicationi nostræ*, qua dictum fuerat *de animo* solum ibi sermonem esse, hoc sensu, vt animus semper sit promptus & *paratus* ad rationem reddendam. Quod tamen vtrumq; pronunciatum Hunnij manifestissime contradicit ipsius Lutheri versioni & Biblijs vulgaribus, qui locum illum S. Petri ita vertit: Seyt aber allzeit berait zur verantwortung jederman. 1. Petr. 3.

Qua de re, vt cum Hunnio loquar, *judicium committimus Illustrissimo auditorio.*

XVIII. Sed nec melius cum Lutheri Bilbijs conuenit, illa scripturæ corruptela, qua in Colloquio eadem Sess. vsus est Iacobus Hailbronnerus, cum ita scripturam citauit Ioann. 5. *Est qui judicabit vos Moyses.* Vbi Lutherus vertit. Es ist ainer der euch verklagt der Moses. Ioann. 5. Itaq; *accusat*, dicere debebat Prædicans, non *judicabit*. Neq; aliȩ duæ corruptelæ scripturæ eiusdem Hailbronneri supra notatæ vsquam in Lutheri Biblijs sunt.

XIX. Quid? quòd Hunnius etiam Augustanæ confessioni repugnat. Certe quidem Sess. 1. & 2. affirmauit Hunnius, pueros sine baptismo saluos fieri. At in confessione Augustana docetur, *baptismum esse necessariũ ad salutem.* Vbi etiam *damnantur Anabaptistæ, qui affirmant, pueros sine baptismo saluos fieri.* August. Confess. Artic. 9. Et in apologia eiusdem confessionis dicitur, *necesse est baptizari paruulos, vt applicetur eis promissio salutis, juxta mandatum Christi, baptizatȩ omnes gentes.*

XX. Nec illud certe probabunt alij Lutherani, quod Hunnius asseruit, in primitiua Ecclesia non vixisse Prophetas, quorum vox coram audiri potuisset. Neq; verò opus est aliorum hîc testimonia opponere, cum Hunnius seipsum redarguat, quando Apocalypsin S. Ioannis, velut *noui testamenti Prophetiam* veneratur.

Sess. 6.

XXI. Illud vero quibus auribus excipient cæteri Pseudoeuangelici, quod Hūnius Sess. 10. asseruit, actu cōiugali pollui hominem, qui hactenus velut inexpiabile scelus Catholicis exprobraruut, quod ex his quidam eo nomine matrimonium afficere visi sunt. Certè Lutherus si viueret, non dubito, hanc Hunnij vocem execraretur, qui dicit, *Iouinianum plus eruditionis & judicij habuisse in vno digito, quàm Hieronymum in toto corpore*, dum in *pestilentibus libris contra Iouinianum statuit, melius & purius esse seruire Deo in cælibatu, quam in coniugio.* Nec ignoras Hunni, cuius sint illa verba: Ach lieber Herr Gott / die Ehe ist nicht ein natürlich ding / sondern Gottes gab / das aller süssest vnnd lieblichste / ja keuscheste leben über allen cælibat. Si purior vita coniugalis omni cælibatu, quomodo quæso per concupiscentiam coniugalem homo polluitur? quomodo decebat, vt Mater Dei cœlibatum potius, quam coniugalem vitam coleret? vt non malè alioquin ratiocinabatur Hunnius.

Caluin lib. 4. Insti. cap. 12. § 24.

Luth. enarrat. in Psalm. 9. Gradual.

Luth. de Matrim. Cap. 29.

Et quid respondebis Collegæ tuo, Balthasari Menzero, qui in disputatione sua decima tertia cōtra Pistorium, ita concludit. *Redde vero etiam*, inquit, *etiam tu nobis rationem tuæ sententiæ, Matrimonium negas esse æque sanctum, vt est virginitas. Quare? propter concubitum. Ergone concubitus cōiugalis per se impur⁹ est & contaminatus? Contumeliosus es in Dei ipsius ordinationē si affirmes: Si neges, claudicat tuū argumentum.*

Disputa. 13. thes. 69

XXII. Sed nec illi quidem nouo Pseudoeuangelicæ

fidei

fidei articulo, omnes Pseudoeuangelici subscriberent, quòd Papa verè sit Antichristus. Quid enim Philippus Melanchton in subscriptione articulorũ Schmalcaldicorum scripserit, alibi diximus. Sed hic in gratiam Hunnij repetendum. *Ego Philippus Melanchton, supra positos articulos approbo, vt pios, & Christianos. De Pontifice autem statuo si Euangelium admitteret, posse ei propter pacem & communem tranquillitatem Christianorum, qui jam sub ipso sunt, & imposterum erunt, superioritatem in Episcopos, quam alioqui habet, jure humano etiam à nobis permitti.*

Addo huic Hieronymum Zanchium, qui tametsi in Caluinistis sit, nihilo tamen minus Euangelici nomẽ sibi vendicat, eodem certe jure vtriq;. Hic igitur quid de hac quæstione sentiat, ita declarat. Cum enim multa in hanc sententiam disputasset, tandem concludit. *Credo ex his quæ dixi, vnicuiq; intelligenti liquere: Cum eadem sit Sathanæ in Machomet, quæ & ante in Ario alijsq; eius farinæ hæreticis & deniq; in Pseudoapostolis tempore Pauli, de filio DEI, deq; eius beneficio doctrina, rectè à nobis concludi, Machometem cum suis successoribus, verum esse illum Antichristum, cuius aduentus, qui incepit tempore Pauli in Pseudoapostolis, ex efficacia Sathanæ, in omni potentia & signis, & miraculis futurus fuisse legitur.* Hiero. Zanch. ad cuius Arian. libell.

Et infra: *Verus & perfectus Antichristus ipse est Machomet.* Et paulopost: *summa igitur,* inquit, *responsionis ad tuũ argumentũ hæc est: vos in isto vestro Enthymemate magnum admittere paralogismũ, cum ita argumentamini; Papa Romanus, & nõ alius, est ille verus Antichristus, de quo Apostolus. 2. Thess. 2. Ergo cognitio vera Dei & Christi, apud eum nulla est: cum potius ab ijs, quæ de Antichristo prædicat Apostolus, ad monstrandũ ipsum Antichristũ, argumentandum sit. Vos assumitis pro confesso, Papam esse illum simpliciter Antichristum, de quo Scripturæ: ac inde ad doctrinam de DEO, quam profitetur, hæreseos conuincendam*

descen-

descenditis. Sed assumptum, Patres simpliciter negant: Protestantes autem κατά τι duntaxat verum esse concedunt.

Et tandem ita concludit. *Quid igitur vobis agendum? Ab iis quæ Sacræ literæ de Antichristo prædicant, illum, de quo scripturæ, monstrandum fuerit. Atqui licet in Rom. Pontificem multa congruant: plura tamen, & præcipua in Turcicum Imperatorem, verius & plenius competere, quam in Papam, demonstratum est. Ipse enim ex diametro sese Christo opposuit, totumq; fere mundum, à Christi doctrina, cultu, obedientia auocauit, & indies magis ac magis, nouis occupatis regnis (proh dolor) auocat.* Ita Zanchius

XXIII. Hunnius Seß. 14. dogma vbiquitatis ponitur inter Articulos fidei. Atqui anno Christi. 1575. Omnes Superintendentes Saxoniæ, atq; etiam Doctores Academiarum Lypsiæ, & Witebergæ, eam damnarunt & penitus execrati sunt, tanquam *horribilem profanationem omnium articulorum symboli, & renouationem omnium hæreseon,* vt supra ostensum est cap. 2.

Taceo Protestantes illos, qui vbiquistica noua cōtra Idolum illud vbiquisticum ediderunt; hoc sanè testimonium, quod omnibus grauius est, præterire non possum. Cum enim Illustrissimus Saxoniæ Elector Augustus circiter Annum Christi 66. Theologorum Witebergensium judicium de libris & scriptis quibusdam Ioannis Brentij & Iacobi Andreæ, vbiquisticæ sectæ vel autorum vel præcipuorum propugnatorum expetijsset, tum illi satis prolixum scriptum vernacula lingua conscriptum Illustrissimo Principi suo, quibus suam de vbiquitate judiciū explicant, transmiserunt; hoc titulo inscriptum. Iudicium Academiæ Witebergensis de libris Ioannis Brentij, omnium nomine scriptum, quod ipsum eodem Anno 66. idem Elector

Saxo-

Saxoniæ August⁹ Alberto laudatissimę memorię Principi ac vtriusq; Bauariæ Duci beneuolè communicauit. Dux vero Albertus per Cancellariũ suum transmisit ad virum admodum Reuerendum atq; Magnificum Dominum D. Georgium Lauterium, Præpositum ad D. Virginis Monachij, q hoc ipsum pro eximia sua beneuolẽtia mihi descriptum nuper communicauit. In eo scripto Academia Witebergensis ita suam declarat de vbiquitate sententiam, vt planè eam nouam, & à ratione ac S S. Patrum fide alienam esse pronunciet. Describam hîc quædam præcipua, quæ ad eam rem spectant, quandoquidem hoc alioqui scriptum typis euulgatũ esse non videtur: Ita ergo inter cætera habet illa Witebergensis Academię censura. *Cogimur interim fateri, in præcedenti disputatione, de coniunctione duarũ naturarũ in Christo, & de præsentia humanæ naturæ Christi in omnibus rebus & creaturis tum in cælo, tum in terra, qua quidem prior ille articul⁹ de ascensione eius in cælos, & sessione ad dextram Patris nititur, & ex ea ab illis deduciter, multa nobis incognita, noua, & peregrina ac periculosa dicta à D. Brentio, & D. Iacobo Andreæ vsurpari, & vehementissimè propugnari, quæ planè in huius ditionis Ecclesias aut Scholas introducere, aut disputando examinare magnopere cauemus: Cum eiusmodi loquutiones ac declarationes neq; in Biblicis scriptis, & testimonijs Prophetarum & Apostolorum, neq; in præcipuorum & antiquissimorum Ecclesiæ Doctorum scriptis & commentationibus inuenerimus, nec in huius terræ Ecclesiis & Scholis à nostris Maioribus & Præceptoriibus, qui ante nos ministrarunt, & docuerunt, vnquam audiuerimus aut didicerimus.* Quam sententiam etiam sæpius subinde repetunt, & ostendunt, Lutherũ male ab eis intelligi, verumq; scripturæ ac S S. Patrum sensum eos non assequi. Itaq; suadent etiam Brentio,

huius Vbiquitatis præcipuo patrono, vt ab hac controuersia desistat, ne cætera eius scripta, hoc veluti probro dehonestentur, &c. Videt ergo Hunnius, non tantum quantum sit mendacium illud, quo dicebat à Caluinistis primum & Iesuitis eiusmodi doctrinam, qua omnipræsentia humanitatis Christi negatur, introductam, sed etiam quam ipse minimè suis Maioribus & Præceptoribus conuenienter in ea re sentiat.

XXIV. Hunnius negauit, traditionem illam de libris Canonicis, esse partem verbi diuini: At idem Hunnius concessit, eam fide diuina & infallibili esse credendã. Quæ quam belle sibi cohæreant alibi declarauimus.

Habes igitur Hunni, pro tuis vndecim, quas in tua imaginatione nexuisti, nobisq; affinxisti, contradictionibus, quatuor & viginti, quas tibi nunc conciliandas trado.

CAPVT VIGESIMVM Tertium.

EXAMINANTVR EA, QVÆ de abruptione Colloquij narrat Hunnius, & demonstratur culpam abrupti Colloquij penes Prædicantes residere.

AGgreditur tandem Hunnius vltimam partem suæ narrationis, sed vt sibi per omnia sit similis, nihil sine consuetis mendacijs, & calumnijs. *Vt tandem*, inquit, *Colophonem addamus, & de exitu Colloquij moneamus quippiam. Si quis forte quærat, vtrius partis culpa Colloquium non fuerit ad finem deductum, restantibus adhuc duabus classi-*

Relat. Hunn. f. F. 4.

classibus argumentorum, quibus Pontificij probare debebant, suam Romanam Ecclesiam esse veram illam Catholicam Ecclesiam, Deinde Pontificem Romanum esse omnium controuersiarum religionis iudicem: Is nouerit culpam huius rei non in nobis, sed in Aduersariis hærere. Nullum plane dubium, si Hunnio iudice res haec definienda sit, iam dictam, iam definitam, jam ab Aduersariis obtentam causam esse. Sed nondum ea nobis mens est, Hunni, vt te hac in parte iudicem admittamus. Nec erit vlli, cui sana mens est.

Causa abrumpendi colloquij, vt à me alibi fusius explicatum est, non vna fuit, vt Hunnius significat, sed plures, vt optime norunt illi, qui rem hanc tractarunt, inter eas vero præcipue erant tres istæ. Prima, quod Prædicantes ad formam dialecticam, iuxta præscriptas leges, seruandam adigi non possent, contra quam accusationem, quid attulerint, supra satis à me, cum de forma agerem, explicatum est.

Altera causa erat, quod Prædicantes ad dictationē illam molestissimam, iuxta leges Principum posterius latas, omittendam, nulla vi adduci possent, adeoque quod tam in hoc, quam in illo puncto, leges Colloquij vtriusque Principis authoritate latas contumacissimè perfringere pergerent.

Tertia causa erat, quod impudens illud os, Caput Ecclesiæ Catholicæ, Romanum Pontificem, non iam tantum per modum disputationis, sed quasi liquidæ & exploratæ minimeq; cōtrouersiæ veritatis, Antichristi conuitio procacissimè impetere non est veritus. Quam vnicam causam abrumpendi colloquij fuisse, Prædicans falso significat.

Quæ quidē causæ, vt alias plures taceam, quas alibi

 attigi

attigi, etiam nomine Serenissimi Bauariæ Ducis, Illustrissimo Principi Palatino, amice propositæ fuerunt. Quid vero jam contra causas istas tam & per se graues & liquidas obijcit noster calumniator? Primam hîc non tangit. Nec ego igitur, satis enim supra contra Hunnianam vanitatem defensa, cum examinarentur ea, quæ de forma Colloquij narrauit Hunnius.

Alteram quidem Colloquij abrumpendi causam fuisse, tacet, sed rem ipsam penitus silentio præterire nō potuit, sine dubio quia male sibi in ea re conscius erat. *Diluenda vero est*, inquit, *etiam hæc criminatio, qua nos disputandi leges violasse clamitant, eo quod ad calamum, vt aiunt, nostros sermones dictauerimus.* Quid ergo ait Hunnius, negabitne, quod in conspectu tot Principum, tot Virorū Doctissimorū, etiam ipsomet Protocollo testante, gestum & actum est, negabit ne, inquam, se ad calamum dictasse. Nihil certè propius est. Et tamen non omnino negat. *Non ita tardè*, ait, *se locutos esse, vt in scholis, cum vnum idemq; bis terue dictando repetitur.*

Relat Hunn. fol. F. 3. 4.

Sed etsi hoc ipsum falsum sit, tamen etiamsi falsum non esset, Hunnium cum suo Collega ab ea accusatione minimè vindicaret. Quasi vero dictatio ad calamū in hoc vnicè consistat, vt *eadem verba bis terue repetantur*: Quasi vero dictatio non sit, quando ita tractim, ac lentè verba pronunciantur, vt singula calamo excipi possint. Et hoc non fecistis Hunni? Bene est, non negat. Fatetur enim, se *tardè singula prolocutos*, ita quidem vt à Notarijs excipi possent. Verum etsi negares, mendacij tamen vel à tuis Collegis Neoburgensibus argueremis, qui se ad calamum dictasse, minimè negant: *Ad calamum*, inquiunt, *pleraq; locuti sumus.* Ecce quanto te fuerint

Appen. Protocolli Neuburg.

rint

rint sinceriores Neoburgenses Collegæ tui, q & suo pariter, & tuo nomine disertè profitentur, se ad calamum plæraq; loquutos fuisse. Sed quicquid in hoc genere factum est, rectè à se factum esse his rationibus probat Hunnius. Primo quia in propositione Serenissimorum Illustrissimorumq; Principum mandabatur: Das man sich im Colloquiern klarer / verstendlicher / woluernemblicher / langsamer / lateinischer Sprach gebrauchen solte. *Sic quoq; lex sexta erat*, inquit Hunnius, *Agant modestè & placidè, loquantur clarè & perspicuè vt intelligi, tarde, vt dicta percipi possint*. Sed non te pudet, Hunni, tam putidis ratiunculis toti mundo illudere velle? Ita ne verò *tarde loqui, vt dicta percipi possint*, tibi idem videtur esse, quod dictare ad calamum, nunquamne ergo loqueris tarde, *vt dicta principi possint*, nisi ad calamum dictes, nisi verba singula conscribi possint. Heu quantus legum interpres est noster Hunnius.

Sed pergit ad secundam rationē. *Vndecima lex*, inquit, *iniungit Notarijs, vt dicta fideliter excipiant. Quî poterant autem excipi, si præcipiti pronunciatione, qualem rgebaVnt Iesuitæ, fuissent effusa?* Dicam tibi Hunni.

Varia ratio est excipiendi dicta, prima, vt omnia & singula de verbo ad verbum accipiantur. Altera, vt sensus singulorum consignetur. Tertia, vt quædam tantum, quæ potissima sunt, aut ab vtrauis parte potissimum consignanda postulantur, scriptis mandentur. Iam ergo cum tam varia sit excipiendorum dictorum ratio, cur tu, Hunni, tam ineptus es, vt eam legem vtriusq; Principis authoritate latam, & vtriusq; partis consensu acceptam, tuo arbitrio ad primam illam dictā excipiendi rationē cōstringas? Quando nec nos vnquam

hanc legem hoc sensu aut intelleximus, aut acceptauimus, nec Principes hanc suam fuisse mentẽ vllo indicio declararunt, nec reliquæ leges aut acta sic accipiẽdam esse significarũt, cur per hanc legẽ, obscuriorẽ minusq; determinatã, nec ad Collocutores propriè pertinentẽ, sextam illam, q̃ & clarior ac explicatior erat, & propriè ad Collocutores pertinebat, & non potius alteram illam per hanc declarandam esse animaduertisti?

Certe si verba legis quintę considerasses, quibus in loquendo is duntaxat tarditatis modus præscriptus est Collocutorib⁹, *vt dicta percipi*, minimè vero, vt omnia ad verbũ excipi possent, ne suspicari quidẽ potuisses, omnia verba ex cõuentis & pactis ad calamũ esse dictãda.

Sed tertiam adfert rationem Hunnius, quia Notarij Bauarici publicè protestabantur, non se posse asseq; scribendo, *cum aliquando* (inquit Prædicans) *ego D. Hunnius paulo celerius loqui inciperem.*

Sed etsi hoc semel factum est, priusquam circa Sess. 7. posterioribus legibus dictatio ad calamũ apertè prohibita esset, facile tamen ipsimet Notarij testabuntur, nullo se vel expresso mandato, vel juramento astrictos fuisse, vt omnia & singula de verbo ad verbũ exciperẽt. Quod si fortassis ita legẽ illam Principum, de qua dictũ est, intellexissent, id non ob aliam causam factũ fuisset, quã quod vestra importunitate, & falsæ interprationis cõfidẽti præiudicio, in eam opinionẽ inducti fuissent. Certe tametsi protestati fuerint, nullũ tamẽ ideo mandatũ à Principib. datũ est, vt sermones lẽtius protraherẽtur, quantumuis tu, nescio quis *Ego D. Hunnius*, id sine dubio mandandum existimaueris,

At quartam rationem adfert Hunnius, ne scilicet Iesu-

Iesuitæ, liberi *à metu Protocolli (quod cane peius odissent & angue) causam suam pro libitu pingerent, & ad suos quidquid vellent perscriberēt.* Sed nimis mēdax es calumniator, Hunni, nimis in mētiendo exercitatus. Certè desperare jusserim Iesuitas, si tecū mētiendo aut calumniando decertare velint. Quamuis ergo & Iesuitæ quoq; ex hac parte, nihil magis optasset, quam vt saluo principali disputationis fine, q scilicet erat veritatis perquirēdæ studiū, omnia ad verbū exciperētur, & verò in tam denso ac atroci tot mēdaciorū atq; calumniarū nimbo, quib⁹ peracta disputatione ab aduersarijs oppetebantur, vnicū quasi Protocollū præsidij causa relictum sit, quia tamē probè aduertebam⁹, quàm hic modus disputandi opportunā tergiuersandi & euagādi occasionem præberet Aduersarijs, & quam parū vel à Colloquutoribus mutuo, vel ab Auditoribus, quæ tam diuturna dictitatione recitabātur, percipi possent, quamq; adeo ad veritatis inquisitionem parum accomodatus esset, ideo non imērito recusandum, quantum in nobis erat, duximus. Et si hac tantum de causa Iesuitæ dictationem refugiebant, *vt causam suam pro libitu pingerent,* vt tu pro libitu fingis, cur vtriq; Principes tandē eam dictationem contraria legē aperte proscribendam esse duxerunt?

Sed probat tamen suam calumniam Hunnius: *Nam in gratiam,* inquit, *sedis Pontificiæ fingere, mentiri, moliri quiduis, imo Reges & Monarchas è medio tollere, non sunt apud* Iesuitas, *& sanctissimum Pontificem scelera, sed præclara opera, sacrificia Deo grata, adeoq; mera κατορθώματα.* Relat. Hunn. f F. 4. Mend. calum. Hun.

Vnum, scilicet mendacium ac calumniam integro mēndaciorū & calumniarū cumulo probat calumniator. Et nonē firma est talis probatio? verius ego de vobis dicere possum, Hunni: In

Ingratiam Acharonticæ *ſedis fingere, mentiri, moliri quiduis, imo, Reges & Monarchas è medio tollere, non ſunt apud* Prædicantes, *& ſanctiſſimum* eorum Patrem Lutherum, *ſcelera*, *ſed præclara opera, ſacrificia Deo grata, adeoq; mera* κατορθώματα Et ſuppetit mihi huius rei probatio, tibi nulla, aut ede, ſi vir bonus es.

Sed quintam & poſtremam Hunnij rationem videamus. Ait enim, ſe à Collegis aſſidentibus, *quibus reuidendi Protocolli cura demandata fuerat*, monitum, ſuum illud inſtitutum tenuiſſe. Sed egregia profecto excuſatio, in defenſionem peccati conſortes adducere, & Principum legibus ſemel ex pacto acceptatis, Collegarum admonitionem anteponere.

Ais, eiuſmodi leges, à te, *eo ſenſu, quem deinde aſſuerunt Pontificij*, *nec intellectas, nec acceptatas*. At non te pudet, Hunni, tam pueriliter nugari? Itane lex illa obſcura erat, vt non intelligeres, aut potius ipſe tam ſtolidus eras, vt quamuis clariſſima eſſet, intelligere non poſſes? Videamus, quæſo, tam abſconditum legis myſterium, tam tectam obſcuritatem, quæ tantum Doctorem fugere potuerit. Videamusque, inquam, an ſaltem vel Calepini opera obſcuritas ea tolli poſſit.

Itaque cum Sereniſſimos & Illuſtriſſimos Principes, cum partem vtramque, cum Auditores vtriuſque partis, ad ſeptimam vſque Seſſionem, conſuetæ dictationis tædium cœpiſſet, aliaque etiam, ad Dialecticam formam in diſputatione maiori ſtudio ſeruandam neceſſariò præcipienda ideoque Principis vtriuſq; authoritate & partium conſenſu, nouæ leges colloquij conſtituendæ viderentur, hæc inter cæteras prima ſancita eſt his verbis. *Ne impoſterum ad calamum dictetur, tar-*

de

dè tamen & distinctè, vt dicta percipi possint, loquantur. Quid ergo in hac lege obscuritatis, quod ille tu (Ego D. Hunnius) & quidem tantus Doctor, non intelligeres? Videamus singula. *Ne imposterum*, posthac & *imposterum* sunt Synonyma. Itaque *ne imposterum*, id est *posthac*, scilicet post Sessionem sextam, *ad calamum dictetur. Calamus*, nosti, consueto loquendi modo, pro penna sumitur, non pro iuncti stipite, nisi forte stipes es, & ita hebes, vt ad calamum dictasse te non putes, quandoquidem Notarij *penna*, non autem iunci *calamo* in scribendo vtebantur. Dictetur siue dicatur, tantundem ferè est, & sensus est, ne colloquutores posthac scilicet post 6. Session. ita tardè loquantur, quasi ad verbũ omnia excipi debeant, sicut ad id vsque tempus consuetum erat. Sed pergit lex. *Tardè tamen & distinctè, vt dicta percipi possint, loquantur. Distinctè* igitur loquendum erat, quis dubitat? *& tardè*, sed quã *tardè*? *vt dicta percipi*, hoc est intelligi, non vt omnia ad verbum excipi possent. Et tu D. Hunni cum tuis collegis hæc non intellexeritis? Certè facilius crediderim, te mentitum, quam vos omnes tam stolidos fuisse, vt tam claram legem non intelligeretis.

At legem hoc sensu non acceptastis? Quonam ergo, quæso te? Ex quo Dasypodio alium sensum procudes, quo legem à te seruatam probare possis? Et si non acceptastis, quo signo repudiastis, cur nullo indicio cũ vobis legenda prius domi traderetur, eam reiecistis? Certè qui legem hanc vobis legendam detulerunt, & retulerunt, acceptatam esse asseruerunt. Quod si non acceptare vos significassetis, næ Serenissimus Bauariæ Dux ad Colloquium nunquam venisset amplius.

Concludo igitur vos, vt legis illius vtriusque Principis voluntate constitutæ pertinacissimos transgressores, iustissimam causam dedisse abrumpendi Colloquij.

Nec est quod nobis obijcias, leges à nobis itidem violatas, quasi iuxta legem primam, *in disputando, Dei gloriam, veritatis inquisitionem, & propositæ quæstionis illustrationem* nobis præfixam non habuerimus, sed potius, vt calumniaris, *etiam conuicti nihilominus in errore perseuerauerimus*, & *ad oculũ demonstratæ veritati contumaciter obloqui perrexerimus.*

Similiter quasi contra sextam legem, *Tannerus in quibusdam Sessionibus omnia repagula pudoris atq; modestiæ perfregerit, ac porro legem octauam prohibentem conuicia, clamores, strepitus, intempestiuas interpellationes, plus centies violarit.* Has enim vanas & inanes esse calumnias, in quibus euomendis Hunnius *omnia repagula pudoris atq; modestiæ perfregerit,* supra satis ostensum est.

Quod ais, *cætera, quæ à vobis videantur obscurius dicta, re ita poscente, paratos vos esse semper suo loco ac tempore explicare fusius*, vt commodius præstare possetis, magno iam studio curauimus, quando præcipua vestra absurda in catalogum redacta vobis ob oculos posuimus. Caue modo, Hunni, ne Collegæ tui Neoburgenses hanc tuam reseruationem tibi non minus, quam nobis exprobrent. Nec contra Protocollum quoad sensũ rerum in eo contentarum excipimus, nisi quod vestris fraudibus subinde corruptum est, vt supra ostendimus.

Cæterum quod ais, *me in reuisione Protocolli molitũ esse, vt noua argumenta, vel responsiones nouas insererem, quæ in Colloquio nõ fuissent proposita*, id nouum & calumniosum Hunnij mendacium est, quod nunquam probabit in omnem sem-

ſempiternitatẽ. Sed miſer iam de fraude conuictus, eiuſdem inſimulare me ſatagit. Ita nimirum *in via ſtultus ambulans*, cum ipſe inſipiens ſit, *omnes ſtultos æſtimat*.

Sed videamus, quam bellè tertiam cauſam abrupti Colloquij à ſe amoliatur Hunnius. Fatetur ante omnia, Pontificẽ à ſe Antichriſti appellatione affectũ. Sed iure hoc factũ perſuadere conatur. I. *Quia Tannerus primò mouit quæſtionem de tempore aduentus Antichriſti*, itaq; neceſſariò dicendum erat Antichriſtum iam veniſſe. II. quia D. Hungerus *opponebat argumentum, quo probaret, nondum veniſſe Antichriſtum.* III. Quia *Ieſuitæ ipſi in diſtributione ſuorum argumentorum meminerunt Romani Pontificis, eumq́; prædicarunt iudicem omnium controuerſiarum.* IIII. Quia *Aduerſarij inter articulos initio ſtatim conſultationis, ante biennium nominatos, qui in Colloquio diſceptarentur, in ſuo proprio ſcripto diſertis verbis referri voluerũt hunc quoq́;: An Romanus Pontifex ſit Caput Eccleſiæ, an vero Antichriſtus*?

Sed fruſtra laboras, Hunni, in hoc procaciſſimi & impudentiſſimi calumniatoris crimine à te amoliendo. Eſto enim primo, dederint noſtri occaſionem, fecerint poteſtatem, obtulerint etiam pleniſſimam facultatem diſputandi de hac quæſtione, veſtra maledicendi libidine mota. Nunquid ideo integrum tibi erat, quaſi iam dicta & deciſa cauſa, penitusque finita lite, palàm vociferari, & Catholico Principi in publico conſeſſu, in faciem ingerere, *oportet ſcapham appellare ſcapham, ligonem, ligonem*, & conſequenter (heu Prædicanticam conſequentiam) Pontificem Antichriſtum? Nondum erubeſcis, Hunni? nondum tuam perfrictam frontem ipſe cõtueris? Poteras dicere, Sereniſſime Princeps, ꝑ modũ diſputationis hac de re locuti ſum⁹. Ego noſtræ

Ecclesię sententiam propoſui ac defendi. Et tu, os impudens, exclamas, *Sereniſſime Princeps oportet ſcapham appellare ſcapham, ligonem, ligonem, & in noſtris Eccleſijs non eſt iniuria.*

Mirabor, ſi vel vnicum etiam ex tuis tantæ impudentiæ vel laudatorem, vel defenſorem habebis.

Deinde mentiris, cum ſignificas, à me motam eſſe quæſtionem illam, de tempore Antichriſti an venerit, quam tu extra inſtitutum, ſolo tergiuerſandi ſtudio mouere cœpiſti. Res enim ita geſta eſt, vt ex Protocollo liquet. Propoſueram ego pro aſſerendis Traditionibus argumentum quoddam confectum ex Scriptura. 2. Theſſalon. 2. Et quia Prædicans nunquam ad argumentum in forma reſpondere voluit, ſed partim enarrando textum, partim etiam alia verba Apoſtoli ex eodem capite obijciendo, prolixè declamauit, taxaui eam Aduerſarij tergiuerſationem, & vt in forma ad propoſitum ſibi argumentum reſponderet, monui. Tantum enim abeſſe, vt ex cæteris Apoſtoli verbis eo loco contrarium ſignificetur, vt ex illis ipſis traditiones non obſcurè probari poſſint. Quod vt manifeſtum fieret, recitaui illum Apoſtoli locum integre, *Rogamus autem vos fratres, &c.* In quibus, inter cætera, Apoſtolus verbis illis: *Tantum vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat, &c.* circumſtantiã quandam temporis Antichriſti deſcribit, quòd videlicet incidat ſub occaſum Romani imperij, quam tamen circumſtantiam temporis coram Theſſalonicenſibus expoſitam, nemo ex ſolis verbis Apoſtoli euidenter colligere queat. Itaque vel hinc etiam colligi, traditiones quaſdã præter Scripturam eſſe admittendas. Quod quidem argumen-

mentum, vt patet, penitus abstrahebat ab ea quæstione, num Antichristus venerit, seu an Pontifex Romanus sit Antichristus, &c. Et planè debebat Prædicans ante omnia ad primum illud argumentum, deinde vero etiam ad hoc, si tempus tulisset, respondere.

Sed Hunnius occasionem calumniandi Pontificis studiosè consectatus, extra omne propositum eò quæstionem à me motam contorsit, vt ostenderet Antichristum iam venisse, quia videlicet regnum suum iuxta Apostolum plenè occupaturus sit Antichristus, quando *Maiestas, & potentia Romani Imperii diminuta & depressa fuerit, tum demum pleno suo dominatu inualiturum esse Antichristum.* Quæ eius fraus à me iure optimo notata & taxata est: & simul ostensum, quàm absurdè & inaniter solo tergiuersandi studio, ab argumento sibi obiecto discesserit.

Iam verò multo magis declamitare contra Pontificem cœpit Prædicans, vt necessario quoque, etsi præter institutum, aliquid ea de re dicendum esse videretur. Hinc ergo patet, non à me motam esse quæstionem illam, *an venerit Antichristus*, sed Prædicantem, pro suo tergiuersandi studio, non motam violenter attraxisse, vt vim sibi propositi argumenti euaderet.

CAPVT VIGESIMVM quartum.

REFELLVNTVR CAlumniæ, quas coronidis loco in Romamanum Pontificem contorquet Hunnius.

NVnquam de Romano Pontifice, aut Iesuitis loqui poteſt Hunnius, niſi calumniando. Cum ergo circa finem ſuę narrationis, in Pontificis mẽtionem incidiſſet, omnibus in eum verborum ſpiculis graſſatur. Et initio quidẽ ne culpã calumniatoris ſuſtinere videatur, dũ in Colloquio Romanum Pontificẽ adeo impudenter appellauit Antichriſtũ, ſic infit: *Atqui eſſe illũ verè Antichriſtum*, inquit Hunnius, *eramus confirmaturi argumentis ex immotis vaticiniis ſcripturarũ petitis: Quin etiãnum parati ſumus, id per Dei gratiã, ſole meridiano clarius euincere, vel ſcriptis, vel etiam in ſolenni Colloquio, ſi quod de ipſiſmet Articulis ſeu capitib. inſtituetur.* Nimirũ vt in Colloquio hoc demonſtrauit Hunnius, per emotæ mentis ſomnia, quib. ſcripturarũ vaticinia impudenter deprauabat: Quãdo *è medio fieri*, ſignificare illi debebat *minui: extolli ſuper omne, quod eſt Deus*, præcepta Deo cõtraria ſtatuere, ita & deincepsfigmentum hoc confirmaturus erat.

Quod autem animus ſit Hunnio, vel de hoc ipſo, vel de alijs controuerſiarum articulis, iuſtis cõditionib. & in forma dialectica diſceptare, nõ credo, quando ne in præſenti quidem Colloquio ad legitimas conditiones ſeruandas adigi potuit. Ad nos q, attinet, inueniet planè ad omnia honeſta obſequia paratiſſimos, quin etiã te magnoperè oro, Hunni, vt ardentibus Mag. & Clariſſimi viri D. Piſtorij votis, q eiuſmodi cõgreſſum tanto iã tẽpore palam exoptauit, ſatisfacere tandẽ ne graueris.

Sed quid agamus cum Prędicantib⁹, qui tã firma proponunt argumenta, vt ne gry quidẽ ad ea reſponderi poſſit. Inter cætera hoc vnum eſto, quod in Colloquio propoſuit Hunnius. Qui ſua mandata extollit ſupra Dei omnipotentis mandata, is re & facto extollit ſe ſupra

Deum

Deũ:atque adeo est Antichristus:Pontifex extollit sua mandata supra mandata Omnipotentis Dei : hoc ipso ergo extollit se supra Deũ,atq; adeo est Antichristus. *Ad hoc argumentũ*,inquit Huñius,*ne gry quidẽ est ab aduersa parte responsum*.Et quis grillus ad hoc vanissimũ argumentum vel minimo sono tinniret?quando quiuis Catholicorũ puer videt, & maiorẽ & minorem esse falsissimã?An adeo stupidus erat Prædicãs,vt nesciret,nunquã in omnẽ sempiternitatẽ admissuros esse Catholicos,quod Papa Romanus sua mandata extollat supra mandata Omnipotẽtis Dei.Et quomodo tu,Huñi,hoc ꝓbabis,in quo ꝓbando hactenus Prædicãtes insignẽ quidẽ calumniatorum, sed nullã demõstratorũ laudẽ retulerunt? Ede, Huñi, ꝓbationes,&si quas nouas ꝓtuleris,iam à Bellarmino & alijs nondũ protritas,experieris nõ defuturos, q tibi respõdeãt,& vel vnico gry tuas nugas exibilent.

Sed illud modo torquet Hunniũ, quod Põtifex Romanus Imperiũ à Græcis ad Germanos transtulit. *Quis vero*,inquit,*potestatem dedit Papæ,trãsferendi Romanũ imperiũ à Græcis ad Germanos,vt gratitudinis loco nõ sit ꝓnunciandus is, quẽ Daniel,quẽ Paulus Apostolus, quẽ Ioãnes,quẽ Christus pronunciat?* Sed quis potestatẽ dedit Huñio, transferẽdi terminos Patrum suorum,vt ob tanta benefacta, quæ à sede Pontificia in Saxoniam, (cui ab ea missus est primus Christiani Euangelij præco) & in vniuersum Christianum orbem, qui eius cura ad Christi fidem perductus est, profecta sunt,iam gratitudinis loco eam Antichristianam sedem pronunciet,eiusq; sedis Antistitem, Antichristum,quem nec Daniel, nec Paulus Apostolus nec Ioannes ,nec Christus ipse pronunciat. Et quid vero tibi tantopere dolet, Hunni, per Romanum

num Pontificem ad nos translatum esse imperium? An forte occultam quandam cum Turcis, aut cæteris Orientalibus contra Romanum in Germania constitutum Imperium coniurationem inijsti? An fortasse Græcos tua hac assentatione demulcere cogitas, vt honorificentius, quam antea, vestram exornent cõfessionem, eique propensius subscribant? Certè quidem translationem imperij ad Germanos tanta totius orbis approbatione, tam felicibus auspicijs, quibus initio statim eam translationem Deus approbare visus est, factam, & ipsorum quoque Imperatorum Græcorum confessione iure factam improbare, nullius bonæ, ac in Germanos atque Imperium Romanum propensæ mẽtis indicium esse videtur. Si enim iure translatum ad Germanos Imperium non est, quo iure Christiani Imperatores eam dignitatem atque authoritatem hactenus sibi vendicarunt?

Et vnde, mi Huuni, tuus illustrissimus Princeps Romani Imperij Elector, eam sibi authoritatem ac potestatem, qua nuperrime initiatus est, obtinet? Nonne ab Apostolica sede? Eius plane rei, quicquid Illyricus vester delirarit, testes sunt Pontifices, Concilia, Principes, Theologi, Iureconsulti, Historici, ijque tam veteres, quam recentiores, tam Germani, quam Itali, vt prolixe ac diligenter ab Illustrissimo Bellarmino ostensum est.

Bellar. de translat. Imperii.

Relat. Hunn. fol. H.1.

Et quid hic obgannis? *Si Christi*, inquis, *Vicarius esset, Christi etiam insisteret vestigijs, Christus autem ne quidem inter duos fratres, super diuisione hæreditatis litigantes, se voluit arbitrũ interponere, sed homini hoc ab eo postulanti respondit: Quis me constituit arbitrum aut iudicem inter te, & fratrem tuum.* Sed quid

quid tu miser ais? Anne Christo etiam, vt homini, temporalem potestatem, qua saltem indirecte, propter bonum spirituale Ecclesiæ, de regnis, alijsq; mundanis rebus disponere potuerit, derogas? Non ita, credo, insanies, quando à Christo dictum audis, *Pater omne judicium dedit filio.* Ioann. 5. Et rursum: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Matth. 28. An concedis quidem potestatem, sed vsum duntaxat eius negas? Matth. 8. Marc. 5. Luc. 8. Cur ergo gregem illum porcorum dæmonum potestati tradidit, vt perimerentur? An forte hoc minus est, quam hæreditatem inter fratres diuidere, quod cuiuslibet arbitrio fieri potuisset.

Sed negat, se judicem constitutum in diuidenda hæreditate. Rectè. Non enim missus erat, vt tam viles ipse lites componeret; aut de rebus ciuilibus, tanquam Ordinarius earum judex aut Rector disponeret. Quid? quòd accommodata ad homines importunos eludendos interrogatione quærit solum, nihil negat, nihil definit.

Sed num à Petro, inquit Prædicans, *potestatem illam, ceu manuum traditione quadam accepit* Pontifex? Omnino. *Atqui Petrus, horũ nihil in omni vita cogitauit saltem, memor expressæ prohibitionis, non tam cæteris Apostolis, quam sibi quoq; dictæ à Domino: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent, appellantur benefici: Vos autem non sic.* Mira profectò Hunnij sagacitas, qui intima Beati Petri sensa & cogitata tanta solertia scrutari nouit. Certè quidem temporalem quandam sibi potestatem, indirecte de rebus huius mundi disponendi adeptam fuisse, Apostoli minimè intellexerunt, vtpote qui in temporalibus quoq; toti Ecclesiæ primitiuæ præsederunt, ad quorum Act. 5.

pedes ſuas poſſeſſiones fideles depoſuerunt, quiq; in
1. Cor. 6. controuerſiis etiam ciuilibus Chriſtianorum, non ad Ethnicos judices recurrendum, ſed Chriſtianos conſtituendos eſſe decreuerunt, probe intelligentes, ſe verbis ſupradictis à Chriſto duntaxat commonefactos, vt ipſi tanquam Eccleſiaſtici Rectores ſuis ſubditis, nō more Regum & Dominorum quadam dominandi licentia, ſed more ſpiritualium Paſtorum & Patrum ſeruiendi ſtudio præeſſent.

Quid? quòd gentilium tantummodo regum gubernandi ratio, qua non tam reges, quam Tyranni, propriam potius, quam ſubditorum vtilitatē ſpectabant, Apoſtolis prohibita erat? quandoquidē diſertis verbis, Chriſtus de *Regibus gentium* loquitur, qui in ſuos ſubditos velut ſeruos dominantur, ſeu vt in græco eſt, *κατακυριεύουσιν violente dominantur.*

Quod autem parcius ſua poteſtate vterentur tum Chriſtus, tum Apoſtoli, id pro ratione eius temporis ſapienter & opportune factum eſt, ne lex Euangelica ad regna deſtruēda, ſeditiones concitandas, ſubditoſq; à poteſtate ac obedientia ſuorū Dominorum eximendos, & alienados compoſita eſſe videretur, atqueadeo non tam cōgregatio fidelium Deoq; ſeruientiū, quam conſpiratio quædam ſeditioſorum hominum haberetur, magno totius vtiq; Chriſtianæ Religionis detrimento.

Deinde quid mirum, Apoſtolos regna non tranſtuliſſe, Reges aut Imperatores non exauthoraſſe, cum tunc penes Chriſtianos regna non eſſent. In Ethnicos autem Imperatores aut Reges etiam Romanus Pontifex, jure ſupremi ſacerdotij, poteſtatem vllam nec habeat,

beat, nec vendicet, ea S. Pauli ſententia probe imbutus, *quid mihi de ijs, qui foris ſunt, judicare?* 1. Cor. 5.

Vides igitur Huñi, quam malè concludas: *relinquitur*, ergo inquis. *poteſtatem illam tranſferendi imperium, & conferendi regna mundi, datam eſſe Pontifici à Dracone.* Rectius & verius ego dixero: Relinquitur ergo, poteſtatem illam ob commune bonum Eccleſiæ transferendi Imperiũ, & conferendi regna mundi datã eſſe Pontifici à Chriſtó, & S. Petro, in quo Romanus Pontifex ſummi Paſtoris in vniuerſa Eccleſia munus à Chriſto accepit. Relinquitur itidem, Hunnium eſſe calumniatorem Apoſtolicæ ſedis, & tum hac ſua calumniandi libidine, tùm etiam inſigni ſua contumacia, qua contra juſſa Principum leges Colloquij violare pergebat, Ser.^mo^ Bauariæ Duci juſtiſſimã cauſam abrumpendi Colloquij dediſſe.

Quod ſi non minus juſtam cauſam abrumpendi Colloquij vobis ſuppeditatam fuiſſe, exiſtimabatis, & eam ipſam fuiſſe juſtam & magnam, *ob quam dudum Colloquium abrumpere potuiſſetis, quod Gretſerus Ieſuita nõ mortalem hominem,* vt Prædicans ait, *ſed immortalẽ & æternum Deũ Spiritum Sanctũ affecit enormi planeq́ ſtupenda blaſphemia, cũ identidẽ repeteret, Spiritũ Sanctũ non poſſe eſſe cõtrouerſiarũ judicem per ſcripturam ſacram. &c.* ea quidẽ cauſa & occaſione abrumpendi Colloquij vobis vti per nos licuiſſet. Sed penes quos tunc culpa abrupti Colloquij reſediſſet, id quidẽ ſatis mature, mihi credite, intellexiſſetis. Relat. Hunn. f. H 2.

Iam quia finem tuæ narrationis facis, ego quoq; refutationis finem facio. In qua quod mendacia tua, calumnias tuas, ſuo appellaui nomine, & cauſæ æquitati tribues, & tuo ipſius decreto, jubentis *ſcapham appellare ſcapham*; ſi calumnijs calumnias, ſeu cõuicia nõ repoſui,

nō id pro meritis tuis à me factū existima, sed pro Christianę modestiæ studio, quod me sectari profiteor. *Et quia arbitror, te veritate superatum, ad detractionem vitæ meæ, & ad maledicta conuerti (solent enim hoc & muliercula facere, quæ victoribus Dominis male optant in angulis) illud dico præueniens, gloriæ mihi fore tua conuicia, cū eodem, quo* (Ecclesię Catholicę) *detraxisti ore me laceres, & caninam facundiam seruus Domini pariter experiatur* & sponsa: vt similib⁹ te verbis alloquar, quibus Hieronymus Heluidium. Cap. 10.

Interim vide; mi Hunni, ne tuam hanc maledicentiam, & diabolicam calumniandi impotentiam, eius qui ab initio fuit calumniator, diaboli merces sequatur. Et heu qualis, & quanta? certè quæ nullis lachrymis pro dignitate defleri, nullo tempore finiri poterit. Noli quæso committere, Hunni, vt dum fallax huius mundi species te ducit, quo vis, tandem abducat, quò non vis.

Equidem hæresin tuam, vaniloquentiam, maledicentiam, cætera vitia tua non amo, sed animam tuam pretiosissimo Christi sanguine redemptam, quin saluam esse cupiam, (nouit scrutator cordium Deus) diffiteri non possum: quam hoc ipso amo, quod vitia tua non amo. salua autem erit, si vanitatem in veracitatem, maledicentiam in charitatem commutaueris, si te veræ fidei & Catholicæ Ecclesiæ, extra quam salus non est, opitulante DEO, viuum adiunxeris membrum.

Alioqui certo noris (non enim tibi vanus augur ero, vt tu nobis) ipso diuino Propheta vaticinante, planè Psalm. 10. aliquando futurum, vt Deus *pluat super peccatores*, (& te Matth. 22. imprimis Hunni) *laqueos*, ac compedes inextricabiles,

qui-

quibus in *tenebris exterioribus* perpetuo astrictus tenearis. Et quæ illic pars tua, quæ hæreditas erit? *Ignis* nimirum *& sulphur* perpetuis flammis adurentia, & *Spiritus* vrens *procellarum*, miserabilem dentium stridorem excitaturus, quibus & corpus, & anima tua miserè confecta, nec tamen enecta, in omnem sempiternitatem discruciabuntur, nî, vt dixi, maturè resipiscas, quod vt facias, faxit benignissimus DEVS, Amen.

FINIS.

Laus DEO, & Deiparæ Virgini, & omnibus sanctis.

Errata Typographica ſic corrige.

PRæfat. ad Principem verſ. 9. à fin. lege: alterum. Præfat. ad Lect. B. 2. fol. 2. ver. 12. expedit. Columna 1. verſ. 5. à fin. quia nigri. 12. v. 22. primum. 13. v. 8. ſtuduerint, nihilq; magis poſtularint. 17. 4. Ita S. 18. 16. generalis & principalis. 26. 1. ne alioqui. 26. 20. propugnandi. 64. 13. de via. 66. 27. noluiſti. 68. 14. fallacia dicti. 77. 17. voluerint. 87. 7 æquiuocè ſumatur. 92. 7. varietate. 99. 8. dele: X I. 99. 28. euertit. 114. 20. vt induceres. 123. 16. reddidi. 139. 1. generi. ibid. 9. confoſſum. ibid. 25. monſtrum. 143. 12. ſed melius. ibid. 25. recedit: adde: admittendam velit. 155. 8. in marg. adde: lib. 2. de offic. Eccleſ. cap. 5. 160. 27. Iuſtinianus. 173. 21. Euro velocior. 187. 9. dũ Anonymum. 210. 18. ſed etiam. 212. 2. nequeant. 217. v. penul. ſacrificat. 225. 6. X I. 273. 28. ſuum. 242. 20 vrgebant. ibid. 23. excipiantur. 244. v. antepen. cumulo. 246. 8. iunci.

Cætera leuiora abſq; noſtro monitu corriget Lector.